

L. N. C. A. C. V.

EXAMEN
ET
CASTIGATIONES
ANIMADVERSIONUM
GRÆBNERIANARUM
In
Historiam Morborum
Qui
Anno præteriti Seculi LXXXXIX.
Vratislaviæ grassati sunt.

ANNO M. DCC III.

VIRO
ILLUSTRI ET EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
JOAN. FERD. HERTODT
à TODTENFELDT,
Medic. Doctori Celeberrimo.
Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliario
& Archiatro Gravissimo
Academ. Leopold. Natur. Curiosor. Collegæ
meritissimo &c.
Fautori ac Collegæ ea, qua par est,
reverentia colendo

Salutem & perpetuam felicitatem!



ILLUSTRIS AC EXCELLENTISSIME DOMINE,

IN publica commoda peccaremus, si longo sermone moraremur Tua Tempora ut cum Horatio loquamur. Probè verò recordaberis, ante paucas hebdomades tandem è latebris Adversarii nostri tractatus provolasse. In illis quantum sibi indulserit ille juris in alios, nemo facilè, nisi qui inspexerit, assequi judicando poterit. Nostrum verò Collegium Vratislaviense potissimum fuit materia iræ & invidiæ ejus, quæ linguam ejus ceu turbo in omne genus convitiorum rapuit. Profectò in eo enixè laborasse videtur, ne ullum æquitatis vestigium in Animadversionibus quisquàm deprehenderet. Qua in re etsi ille enormiter in nos, qui nullo unquam verbo ipsum offendimus, magis tamen in Illustre Tuum Nomen peccavit, Illud in præfatione minus reverenter habens, prætereaque persuasus, Tantum Virum ejusmodi nugis legendis vacare posse. Major est etiam æquitas & prudentia Tua cum summa morum gravitate conjuncta, quam ut suspicari debuisset, effrænem hanc detrahendi aliis libidinem Tibi probari posse. Minimè verò Tuum, Vir Magnifice, fugimus tribunal, cujus eruditionem summam non tantum Moravia & Austria, sed & Germania omnis admiratur, ac Augustissima Domus Austriaca suo probat suffragio; Imò in eo felicitatis nostræ partem collocamus, quod partum hunc quodammodo videatur suum limatissimo tuo ingenio subjecisse. Stet historia nostra cadatque tuo judicio. Nisi verò nobis blandimur, Adversarius Noster in hoc foro causa cadet. Detraximus homini larvam & absque omni genuflexione illatas nobis injurias pro virili retudimus. Historiam cum Animadversionibus Adversarii si componere placuerit, non difficulter, Vir Magne,

in-

intelliges, quam enormi studio lædendi depravarit, quæ rectè dicta sunt, & ex nostra infamia sibi parare gloriolam eruditionis studuerit. Obstupesces etiam, cum leges verba nostra truncatim ac depravatè relata, quo magis servirent calumniæ. At quando curis frontem nimis caperatam, Illustrissime Domine, explicare voles, pueriles in Medicina errores haut gravatim Tibi in memoriam revoces illius hominis, qui seriò credit, sese velut Atlantem nutanti Medicinæ Veteri humeros suppoſuisse. Magna ridendi etiam materia suggeritur consideranti, quam bellus sit Græbnerus Grammaticus. Non est, cur aliundè solicitè exempla conquiramus, occurrunt illa tum in dedicatione, tum in præfatione epistolari, & voto novi anni. In illa prædicat, quod Imperatoria Majestas Opusculum suum ultrò inspicere sparsimque perlegere non NB. dedignatus, & ambas insignes dignitates, quibus, *inquit,* me tantis *NB.* impar (*Si Grammaticam didicisset, utique scripsisset, imparem*) existimavi, diplomate duplici confirmare voluerit. *In præfatione ad Te, Vir Excellentissime, leges de* gangræna scroti propter inflammationem in viro, cui virga denudabatur, & in superficie urethræ, urinam involuntariè effluxit. *Et quomodo non mireris enthusiasmum ejus in voto novi anni, quod ita incipit:* Christe veni, NB. Novus anne veni, renovate veni sol.

Mirè, fatemur, deliciatur in materia plagii. Dedimus ergò uni ex nostro ordine negocium, ut Plagii an reus sit Græbnerus, dispiceret. Is cum Theatrum Antagonisticum illius perlegisset, nobis retulit, vix elegantiorem reperiri in toto hoc scripto periodum, quam non in Auctore aliquo possit ostendere, & jam in eo erat totus ut exemplis Illustribus illud comprobaret, quod tamen consilium abjecimus, contenti Ipsius Confessione, quam edidit in præfatione ad T. Excellentiam in hæc verba: Auctorum nomina Freheri Adami Lipenii, aliorumque ex quibus hæc *ἐρίσματα* magno excerpsimus studio NB. NB. quandoque de industria omisimus, imitari exemplum graviorum Scriptorum, sincerè fidem servantium, *id est, furtivè multa sublegi his Auctoribus, eosque sub-*

inde nominare nolui, certe non alia de causa, quam quod ex Indicibus quatuor Auctorum consarcinare tractatum, etiam ipsi Græbnero videretur labor non Doctore, nec quovis tyrone, sed tantum stupido dignus. Quam inique nos oneravit plagiariorum primipilus Græbnerus crimine plagii, non aliude, nisi ex tractatu ipso, pro insigni Tua benevolentia cognosces. Ignosce vero nostræ libertati, & , si sanari potest Græbnerus, eum benigne mone, ut sibi consulat. Fama circumfertur, eum denuo nobiscum in arenam descendere velle. Utinam vero in tempore infelicia abjiciat arma, quocunq; tergore (etiam bubulo) amictus in aciem processerit, eum, quia sine erroribus ne hiscere quidem potest, non magis metuemus, quam exercitati milites solent metuere larvas. Tanta est nostræ causæ æquitas, tantum nobis juris pollicemur, favorem, nam quibus privilegiis in jure utroque Collegia gaudeant, nemini ignotum. Nota est in Decretal. Sixti constitut. qua prohibet, ne in Universitatem vel Collegium proferatur excommunicationis sententia. *Sed nimis diu T. Excellentiæ negotia interpolavimus, finiemus, sed non aliter, nisi in cultu & veneratione Tui Nominis, DEUM precati, ut Te Vilantissimo Custode Sanitatis Augustissimæ, Domus Austriacæ, LEOPOLDUS Magnus, Cæsar invictissimus per multos annos illibata fruatur valetudine, ut Augustus Rex, illud Orbis, qua meliores partes sequitur, delicium & spes, à morborum insultu vivat immunis, & olim sceptra nemini, nisi ex se nato tradat. Ita Maximi Parentis Divinæ Virtutes in filio Rege qui expectationem Europæ sustinet, continuatæ nulla unquam temporum injuria diminuentur, sed & in periculis fulgidissime lucebunt, nec hostilis invidiæ caligine obfuscabuntur. Majora neq; Tu desideras nec nos lætiora apprecari possumus.*

Tuæ Illustris Excellentiæ

Dabamus Vratisl.
An. 1703. ineunte Decemb.

deditissimi
Acad. Leopold. Nat. Curios.
Collega Vratislav.



SImul ac octavo Mensis Octobris die Animadversoris nostri opus Lipsiâ missum nobis redderetur, illud diligenter, sepositis aliis negotiis excussimus, nec, quod summæ erat patientiæ specimen, illud ante abjecimus, quàm à capite ad calcem fuisset evolutum. Non autem facilè alicui, nisi sit admodum robusti stomachi, fuerimus Auctores, ut nimis avarè aviditatem suam explere satagat, nisi idem sibi accidere velit, quod contingit eis, qui pedem incautiùs in officinas coriariorum, & cerdonum immittunt, atque hinc temeritatem suam & stomachi subversione & capitis dolore expiant. Certè non minori harum schedularum Lector, sed magis tetris exhalationibus infestabitur, quàm si in cerdorum versaretur officinis. Adeò omnes paginæ plenæ sunt sordibus. Aptissimè hoc monumentum comparaveris Templis Ægyptiis. Illic enim *ipsum delubrum forinsecùs pulcherrimum est, simul atque maximum sumptuosis lapidibus extructum, atque compositum, cæterùm si intus Deum requisiveris, aut simiam invenies aut hircum &c.* ut cum non nemine loqui nobis liceat.

Prima operis pagina Imagine Summi Monarchæ, in cujus veneratione cultior Orbis, unà nobiscum hæret defixus, exornata est, oculosque intuentium in sese convertit; in tractatibus autem ipsis deformis simia ubique horrorem incutit, ac verbo Martialis, *ab amore recens hircus*

nares graviter ferit, ficut ex progreſſu tractationis magis patebit.

Scripſeramus Hiſtoriam morborum, in id ſummoperè intenti, ut vera ſcriberemus, gnari, veritatem juxta effatum Ciceronis eſſe fundamentum hiſtoriæ, eamque veritate definiri, *juxta Timæum* teſte *Polybio*, ſicuti regula rectitudine definitur. Quibus itaque innotuerat, animadverſiones in Hiſtoriam Noſtram ab hoc homine texi, in eam inciderant ſententiam, fore, ut operosè, advocatis undique auxiliis, oſtenderet, morbos à nobis deſcriptos, cum his ſymptomatibus, Vratislaviæ non fuiſſe graſſatos, nec modo à nobis adumbrato, curam rectè fuiſſe inſtitutam, aliam quoque fuiſſe aëris conſtitutionem. At illos aut ſpes fallet, aut fefellit. Planè alia tractatus hujus facies eſt. Nam *modò* animadverſor hic, ſi Diis placet, planè allotria tractat, quæ nullam cum Hiſtoriâ habet affinitatem, *modò* dicta noſtra aliorum Auctorum ſuffragiis, quæ undique ex indicibus corraſit, confirmat; *modò*, ut ſimiam agnoſcas, etiam ipſe Hiſtoricum agit, *modò* autem auctorum à nobis citatorum, quorum textus tranſcribere non vacabat, nec Lectoris, ut id fieret, intererat, loca ex chartâ in papyrum transfert, mirâ uſus aſtutiâ & fraude, dùm diſſimulat Auctores illos in Hiſtoria Noſtra fuiſſe allegatos. Si hîc ſubſtitiſſet, nihil negotii cum homine hoc nobis interceſſiſſet & injurii eſſemus in Lectorem, ſi vel verbum de his in tractatione noſtrâ adderemus. Non autem intra hos ſeſe continuit limites Animadverſor, ſed, ut de minutis & anguſtis propter unius alteriusve literæ transpoſitionem aut omiſſionem concertationibus nihil dicamus, improbo faſtu turgens, magna virulentia hinc inde Hiſtoriam arrodit, ac noſtras ſententias ſuggillat. Manifeſtiſſimè miſer ſorex pro-

prodidit, quod non boni publici ſtudio, animum ad parandas has elumbes annotatiunculas appulerit, ſed ut Noſtræ aliorumque famæ inſidiatus, ſuæ velificaretur. Eâ enim in opinione verſari videtur, noſtras, ſi quæ ſunt, laudes, ad ſuam pertinere contumeliam, neque ſe rectius, quàm obſcurato alieno lumine, inclareſcere poſſe. Ut ut antem indignum generoſa mente facinus eſſe perejusmodi anfractus, ad famam majorem graſſari cuivis conſtet, nihilominus nos turpiſſimæ meritò ſocordiæ accuſari poſſemus, ſi muti metu muſſaremus, & non criminationes illius maſculè retunderemus. Exequemur, quod propoſuimus, breviſſimis, illa verò aliquantò prolixiùs deducemus, quæ ad praxin aliquod momentum afferre poſſunt, & aliqua ſeſe utilitate commendant. Obiter etiam eas verborum phraſiumque herbas, quæ non, ut quondam *avorum & atavorum Catonis allium ac cæpe olent*, ſed hircum & neſcio, quam *cutim in Transtiberina regione* quondam macerari ſolitam, & unde Thais amantibus nauſeæ ac faſtidio erat, evellemus, non tamen omnes, cùm nimis multæ à barbaro hoc & ſemidocto conſcribillatore (ſit venia verbo) & indicum compilatore in hunc tractatum fuere allatæ. Si ex his noſtris laboribus, quod optamus, eum retulerit fructum Animadverſor, ut modum ſui menſuramque cognoſcat, ac modeſtius de ſe & aliis ſentire diſcat (*nam qualis & quantulus ſit, ipſe hactenus ignorat, & cum ſtaturæ ſit bipedalis & diſtortæ, ſe Coloſſerotis ſpeciem & proceritatem habere non minùs temerè, quàm falſo eredit*, ut ore Salmaſii loquamur) & ipſi & nobis gratulabimur, ac nos magnum operæ pretium præſtitiſſe credemus. Quodſi præter ſpem, res aliter ceciderit, ipſi quidem cum illo ſerram contentionis non reciprocabimus, ſed diſpiciemus, an alii afflicto viri hujus pædagogicè vani cerebro, vel

musicis organis, quæ per vitam suam sæpè etiam in nuptiis animavit, vel aliis[etiam ingratioribus] & acerbioribus modis mederi queant.

Quàm inepto scribendi & consarcinandi pruritu Animadversor hic laboret, statim in limine luculentè aperuit, dùm inutilem nobis de omissa in dedicatione voce Domini litem movet, & aliquot paginas hac de re otiosè implet. Nos eo Augustissimum Imperatorem sumus prosecuti cultu, qui pietatem nostram in longè Clementissimum Regem, quà nemini inter subditos omnes cedimus decebat, i. e. summo, erimusque numini & Majestati ejus semper devotissimi; at fas nobis esse putavimus, in testanda veneratione iis verbis, quibus intimam animi subjectionem ac vota pro perpetua Augustissimæ Domus Austriacæ prosperitate; ac vicissim indulgentissimum supremi in Orbe Monarchæ, in omnes subditos affectum omnium optimè exprimi posse credidimus. In nostra autem dedicatione, præter innumeros alios, imitati sumus Petrum Lambecium Consiliar. Historic. & | Bibliothecar. Cæsar. qui gratia Cæsarea liberrimè usus, de eaque *non tantum præsenti sermone, verùm etiam per familiares propriæ manus epistolas* à S. Majestate jussus est esse securus. Et cum ipse Græbnerus agnoscat, quòd *Dominum & Imperatorem, seu Principem dici idem propemodùm sit* (qua in re quidem puerilem committit errorem) annon. satiùs fuisset tacere, quàm turpem animi impotentiam, ac infandam in Historicis imperitiam prodere? In conjicienda sanè causà omissi hujus verbi David noster, ut ex dictis elucescit, non Oedipus est, sed Davus. Puer sit, necesse est, in historia, ac civilium rerum notitiæ admodùm rudis, qui in rebus Cæsarum Romanorum à temporibus Caroli M. ad Augustum, Tiberium, Alexandrum Severum,

Julia-

Julianum aliosque provocat. Non ita deliramus, ut nefas existimemus, Domini titulum Nostris Imperatoribus tribuere, quem Augustus & Ejus successores, tanquam opprobrium & maledictum exhorruerunt. Et quod Dominorum nomine Prisci illi renuerent appellari, ejus rei causas non obesæ naris Animadversori, sed Viris notitia rerum politicarum conspicuis cognoscere datum est. Quid vero de farragine illâ testimoniorum p. 2. & 3. ex Speidelio sentiendum sit, vel is noverit, cui aureum Hermann. Conringii Librum de Germanorum Imperio Romano, & Jacobi Lampadii aliorumque scripta evolvere curæ cordique fuit. Enimverò jam hæ curæ nos non fatigant, ut ut etiam de his rebus non contemnenda in medium proferre possemus, meritò tamen in alium commodiorem locum differimus, aut potiùs aliis relinquimus, Animadversorem autem ad Grammaticam ablegamus, in cujus regulas tam enormiter peccavit. Non credidissemus oculis nostris, cùm pag. 3. in fine legeremus: *deinde respondebunt in Miscellaneâ Curiosâ sive Ephemeridibus Medico-Physicis A. C. L. N. C. rarò hoc vocabulum inveniri*, nisi iterum p. 6. occurrissent hæc Græbneri verba: (2) *Sacram Cæsaream Majestatem in Miscellaneâ Curiosâ Ann. 2. 3. & 4. Dec. I. Dominum Clementissimum quidem Curiosi salutarunt*, quæ ignorantia, nisi ferulas, certè scuticam meretur, quis enim, quantumvis puer vocem *Miscellanea* substantivum esse cum Græbnero credens, virgas effugeret? p. 3. iterum Animadversor ita loquitur: *postea Domitianus, qui postremus per Italiam ortus Imperium rexit, se Dominum Deum dicicæpit*, quæ admirabiles styli Græbneriani Veneres neminem non in admirationem rapere possunt.

Ex præfatione ad Lectorem, dente Theonino arrodit illa verba nostra: Morborum, qui anno 1699. grassati

apud nos ſunt, hiſtoriam condere aggreſſi ſumus, in hæc p. 9 erumpens verba: *Morbi in Hiſtoria illorum recenſiti (quorum etiam aliquot omiſſi, v. g. apoplexia, affectus apud nos non inconſvetus, & ſingulis ferè annis recurrens) jam ab Hippocratis tempore, paucis fortè exceptis, graſſati fuerunt, & quotidiè ubicunque terrarum & gentium graſſabuntur.* Quid ineptius dici, aut ſcribi poterat? Annon etiam morbi, quos Viri Celeberrimi ab ipſo Animadverſore nominati, Williſius, Ballonius, Sydenhamius, Donckerus, Ramazinus aliique deſcripſerunt, hactenus in orbe graſſati ſunt, & & porrò ulteriùs graſſabuntur, quamvis, non quotidiè & ubicunque, ſicuti ineptiſſimè addit? Novorum morborum Hiſtoriam iniquiſſimè à nobis exigit ille homo, qui ne in Phyſiologia quidem ab ingenioſisſimis Viris ſuperiori ſeculo quicquam veteri doctrinæ fuiſſe additum in Med. Veter. reſtit. nobis voluit perſvadere. Aſt, ait, aliquos morbos in Hiſtoria recenſitos, à nobis fuiſſe omiſſos. Ita quidem loquitur, ſed revera neſcit, quid ſcribat. Si morbi recenſiti ſunt in Hiſtoria Noſtra, quomodo ſunt omiſſi? Verum tamen eſt à nobis de apoplexia non fuiſſe actum; occurrit, fatemur, hic affectus apud nos, & ſingulis annis recurrit, & non paucos proſternit. At ejus Hiſtoriam jam tum concinnaverat Collega noſter D. Helwich, & ad Magnificum Academiæ Noſtræ Præſidem, Dn. D. Schrœckium, eum in finem, ut Ephemeridibus Noſtris inſereretur, miſerat, ac ſequens reſponſum à Viro Illuſtri obtinuerat: *humaniſſimas Tuas unà cum hiſtoria Apoplexiæ rectè obtinui --- Eleganter ſanè & doctè, quicquid de graviſſimi illius morbi natura & ſignis dici poteſt, producta invenio, ut aliorum etiam morborum tractationem à Te perficiendam quàm maximè exoptem,* & poſt aliqua addit, *ſe operam daturum, ut Ephemeridibus accedat,* quod & futurum ſperamus in Appendice

ann.

ann. 9. & 10. Dec. 3. Omisimus itaque tractationem hanc, ne crambem bis coctam apponeremus.

Nostram spem, quæ sustentabat nos fore, ut institutum nostrum à Viris æquis & in Medicina exercitatis, quod in præfatione augurabamur, non improbaretur, non fuisse vanam & fallacem, nec cogitationes inanes, eventus docuit. Optimis enim Viris etiam ipsa historia non contempta, sicut ex Prodromo Examinis intelligi potest. Parùm autem abest, quin nobis gratulemur, animadversori Nostro Historiam hanc non arridere, qui nostra scripta non à quovis inepto compilatore probari cupimus, sed à doctis, quippe & nobis placet Hector Nævianus, qui, ut est apud Ciceronem, *non tantum laudari se lætabatur, sed etiam à laudato Viro.* Et sicut nos nunquam ea cura exercebit, ut calcei nostri ad distortissimum pedis Græbneriani exemplum quadrent; ita nec unquam erimus soliciti, ut opuscula nostra pravissimo Græbneri judicio sint conformia. Ferremus itaque æquissimis animis aliud videri de Historia Lipsiensibus, Jenensibus Professoribus aliisque, aliud Græbnero, ab illis laudari, ab hoc reprehendi, sed dùm hic innuit, ne institutum quidem (quicquid tandem de ipsa historia fiat) de scribenda historia sibi probari, profectò mentem & pedem æquè sibi vacillare declarat.

Præter nugas alias, quæ ututnos mordeant, Historiam tamen non feriunt, p. 11. addit: *præfationis conclusioni conclusionis etiam loco hæc distinctio annectenda inter artem & artificem; Medicina ars vel scientia ultimum quidem finem, utpote sanitatem semper obtinet, Medicus non item.* Nihil magis crudum chartæ illini poterat. Tetram prodit ignorantiam, dùm Medicinam Artem vel scientiam esse dicit. Nos verò brevitatis causa insulsum Animadversorem remittimus ad Porti-

cum

cum Æsculapii Petri Laurenbergii, eique capitis 7. lectionem commendamus, ut discat, quod tyronibus notum est, Medicinam esse artem. Sed iterum pueriliter errat, dùm ait, quòd *ars Medica semper finem seu sanitatem obtinet.* Nos in pueritia nostra edocti sumus artem aliam esse ὡρισμένην vel definitam, cujus artifex, si adsunt materia, instrumenta, aliaque necessaria, fine suo nunquam excidit, ut textoria, sartoria &c. aliam verò ἀόριστον, vel *indefinitam, itemque* στοχαστικὴν *vel conjecturalem*, cujus *artifex, etiamsi officio suo exactissimè satisfaciat, non rarò tamen fine frustratur;* ex hoc autem artium censu esse Medicinam in propatulo est. Conf. Clar. Brunon. dogmata Medica gener. in præliminar. Nam quod Medicina omnes morbos sanare non possit, adeoque finem sæpè non assequatur, rotundè fatetur Hippocrates in lib. de Arte, & legi hac de re meretur libellus Francisci Tidicæi in Jatro Mastigas. Agnovit illud etiam Seneca epist. 95. ad Lucilium scribens: *Non ideò nihil sanat Medicina, quia non omnia,* & Cicero l. 2. de Nat. Deorum: *ægri, quia non omnes convalescunt, non idcircò nulla Medicina est.* Si Medicina semper assequeretur finem suum, ipsam superaret naturam, quæ *non rarò impedita à fine suo aberrat, veluti cùm aut monstra componit, aut defecta edit corpora*, ut Scaliger alicubi loquitur; Natura autem longo intervallo post se relinquit Medicam artem, ut Hippocrates sæpè inculcat, Sed tædet, pigetque de rebus sole meridiano clarioribus vel syllabam addere.

Insatiabile contradicendi cacoëthes Animadversorem adegit, ut verba, quibus Historiam exordimur, sequentia: *anni 99ni Januarium præterlapsi proximè seculi horridum Vratislaviensibus reddiderunt nebulæ & venti*, carperet. En Dictatoris verba: *Hæc scriptio parùm nobis probatur; Cur*

ita?

ita? alioquin, inquit, Historia Morborum eodem anno 1701. quo prælo NB. subjectam & conscriptam exinde quivis colliget. O portentum! Vah! quàm gravis causa est, cur scriptio hæc Græbnero parùm probetur! Vratislavia scilicet loco movebitur, si Historia Nostra eodem anno & scripta & typis expressa est. Jugulum verò miserorum petit, dùm vocem nebulæ expungit, & nubila substituit: *eò quòd nebulæ & venti quàm maximè distent, adeo illas hi dissipent.* Nebulis cœlum die Mensis Januarii 23. & 25. anno 99. præterlapsi seculi fuisse obductum, ipse agnoscit, nec ventos spirasse negat; cur ergò sævit in vocem *nebulæ, quia nebulas ait, venti dissipant?* Enimverò ubi à nobis vel verbo insinuatum, quòd eodem die aut eadem hora, nebulæ & venti aërem turbarint? Quid ergò opus erat istâ Tuâ correctione? sed audi, annon & ipsæ nubes, unde cœlum dicitur nubilum, à ventis dissipantur? Et, estne tanta inter nubes & nebulas differentia? Sane non arbitramur. Doctissimus Honoratus Fabri tract. 6. p. 436. *Nebula*, inquit, *est nubes crassior, humifera, rorida, ut constat experientia, hinc multùm humectat illum terræ tractum, cui incubat, hinc etiam gravior est, & terræ insidet, nec sursum attollitur.* Exiguum sanè inter nebulam & nubem intercedere differentiam, vel ex Meteorologia Joh. Garcæi, quæ Vratislaviæ obvia est, discere potuisset.

Divisionem novam Anni instituere nunquam voluimus, nec, si illud in mentem venisset, deliria Græbneriana imitati essemus, quippe quibus quondam cum cura lectæ sunt præclarissimæ Scaligeri, Petavii, Usserii &c. aliorumque de annis Græcorum, Judæorum, Ægyptiorum, Romanorum, aliarumque Gentium lucubrationes, nec doctrina temporum adeò ignota est. Priores verò tres anni Menses is, qui indicem construxit, dixit hyemales,

 non

non quòd verum hyemis initium finemque ignoraverit, ſed ut verborum compendium faceret, & revera hyems in hos menſes incideret. Par autem eſt ratio etiam in reliquis.

Non credet facilè quisquam hominum, tàm inſano convitiandi ſtudio vexari poſſe, ut vel in indice opnſculi occaſionem calumniandi captet, at illud tamen factum eſt à noſtro Animadverſore. Non deeſſent nobis argumenta, ſi præfractè vellemus, non noſtram, ſed nobis tributam ſententiam tueri. Unum adjicimus, *tantùm non omnes homines*, ut cùm Doctiſſimo quodam Viro loquamur, *in dividendis anni temporibus ad aëris ſecundùm primas qualitates temperiem reſpiciunt, & hyemis nomine intelligunt frigidum tempus, veris autem dies illos temperatos, qui frigidum tempus excipiunt, æſtatis autem dies calidos &c.* Jam autem frigus, ut notum eſt, his menſibus, Januario, Februario, Martio, apud nos ſævit, cur ergò eſſet tantum nefas, eos dicere hyemales apud nos? Certè, quia in Ægypto Menſes duo nominati priores exhibent dies moderatos, Ægyptii hos duos Menſes Vernales dicere non dubitant, ut colligere licet ex proſpero Alpino niſi fallimur & aliis. Nec apud Abysſinos ipſum Septembrem menſem vernalem appellare ob eandem cauſam piaculum eſt, non obſtante Aſtronomicâ diviſione anni, ſecundùm Solis ingreſſum, & in Signis Zodiaci moram quam adhuc Scholæ trivialis alumni didicimus, optimè gnari, hyemem incipere apud nos, quando Sol eſt in primo gradu Capricorni, deſinere autem, quando ad primum gradum arietis pervenit; ut jam de vere, æſtate &c, nihil dicamus. Ipſe Galenus in dividendis anni temporibus obſervari cupit, *cujusmodi acciderit aëri mutatio craſeos*. Imò, ſi antiquitates ſcruteris, in propatulo erit, quòd Solis per ſigna cœleſtia

ſtia tranſitus, atque cum eo conjunctus Stellarum errantium ortus & occaſus heliacus, aſtronomicæ anni in quatuor tempora diviſioni occaſionem dederit, quatenus ille hoc ſuo tranſitu agendi opportunitates, quæ, ut ruſtici cenſent, aëris temperiem pro fundamento agnoſcunt, indicat &

tempora, quæ meſſem, quæ curvus arator haberet,

aut verbo Ovidii, *ſegnia rura in veteres revocent cultus.* Sed hæc Momus noſter penſi non habens, arripuit tricandi anſam ambabus, horno ſuis laudibus intentus, vel Diario ſuo Meteorologico, libro inficietiſſimo, hederam ſuſpenderet, quod luculentius ex iis, quæ immediatè ſubjicit, imò ad oculum patet. Scilicet ipſe nec Barometro, nec thermometro unquam uſus, ut p. 14. fatetur, *ſed ſenſuum externorum auxilio & judicio* (quaſi illi, qui dicta inſtrumenta adhibent, ſenſuum miniſterio non uterentur) *temporum & ventorum mutationes obſervavit ac diarium compoſuit*, worinnen die tägliche Anmerckungen vom Gewitter enthalten ſind/ wenn es nehmlich ein heller ſchöner Tag geweſen/geſtürmet/oder geregnet/ und von welchẽ Ecke des Horizontes der Wind hergeblaſen --/ nebſt bezeichnung der Aſpecten/ ſo ieder Tag darbey eingefallen/ ut optimè ſummam hujus operis exhibet curioſiſſimus & doctiſſimus Auctor, *novæ criſeos temporum* p. 262. Cùm itaque in Hiſtoriâ Noſtrâ legeret, nos ad aëris viciſſitudines rectiùs obſervandas laudatis ante inſtrumentis uſos eſſe, excanduit, ut pueri & fæminæ levi de cauſa iraſci ſolent, & ea, qua pollet, tribunitia poteſtate, non tantùm infamia notat machinas has, ſed & ex Muſæis proſcribit, dùm *non exactè ubivis locorum reſpondere & circa determinationem frigoris, caloris & gravitatis ſæpiſſimè nos decipere poſſe* (cùm nunquàm adhibuerit ipſe) magna ſive temeritate, ſive

 fidu-

fiducia afleveret. O calamitosam istorum instrumentorum sortem! O acerbum exilium, quo imposterum mulctabuntur! Felicem vero Græbneri librum, quem omnes Ephemeridum Meteorologicarum scriptores, tanquam exemplar exactissimum sibi ante oculos ponent, si nimirùm peponem pro cerebro gerant. Ista instrumenta ne nescias, suos quidem semper habebunt vindices, etiam tùm, ubi Græbneri Meteorologii, à blattis & tineis consumpti, aut aliis necessariis usibus impensi, ne memoria quidem superterit. Nihil quicquam enim in his chartis offendas, quod non à textore quovis, cerdone, & rustico proficisci posset, aut quod ad posteros propagari mereretur. Et tamen cùm tàm modicùm Græbnero sapientiæ accesserit, adeò elati animi est. Fundus calamitatis hujus, est quòd ignoret Græbnerus adhuc, cur Viri docti ubique terrarum Meterologicas observationes habito ad barometra, & thermometra respectu institui optent. Hi quanta observationibus intercedat vel discrepantia, vel convenientia cognoscere voluerunt, tùm aliis de causis multis, tùm ut regulas pro divinatione tempestatum inde formare possent, qui quantivis pretii labor esset. Sed facilè videbant Viri Clarissimi, daß die general Constitution über den gantzen Erdboden hierzu den Grund legen/ denn weil unter der Zonâ torrida nur 2. Winde das gantze Jahr regieren/ und alle Abwechselung sich nach den Zonis temperatis hinziehet/ als haben die Holländer dem zu folge fleißig in ihren Seefahrten anmercken lassen / in welcher Gegend der Länder sich die Winde verdrehen / und einen andern Cours nehmen / ut Auctor novæ criseos pag. 246. loquitur, pulchrè addens: Uber dem sind auch nöthig zu wissen die unterschiedene Arten der Horizonten oder Luftplätzer wie viel deren/so auf der Erdkugel keine Gemein-

meinschäfft mit einander haben / welches denn von der Höhe der Lufft determiniret wird / so sich kaum 10000. Fuß hoch erstrecket / desgleichen wie die unterirdischen Witterungen ein grosses hierzu contribuiren / da die Oefnung der Erden (als in den neubekandten Ländern von Virginia und Carolina zuspüren ist) fast täglichen Regen verursachet / wenn in sandichten trockenen Orten / als Egypten und angräntzenden Plätzen es fast niemals oder selten regnet und dahero diese Scientia meteorologica nothwendig, das thema terrestre zu ihrer Versicherung wohl muß untersuchet haben / ehe sie einige Vorherkündigung des Gewitters sich wird unternehmen können ꝛc. Hæc inquam, omnia probè perpendebant, & hinc ubique in orbe eruditos ad curiosas observationes qua monitis, quà exemplo accendebant. Vidit jam Respublica litteraria ex observationibus thermometricis & barometricis utilitates, & non sine sensu delectationis à quovis ortæ ex his observationibus regulæ divinatoriæ, tùm alibi, tùm in Clar. R. J. Camerarii Ephemerid. Meteorolog. Tubingens. p. 14. & sqq. legi possunt. Cum illis, si simul fuerint exculta, quæ à Celeberrimo Viro Dn. Matthæo Slütero J. U. D. & inclytæ Hamburgensis Civitatis nuper Syndico, hodiè verò gravissimo, ut ex novis literar. Germaniæ intelligimus, Consule, Germaniæ nostræ ornamento proposita fuerunt, non est dubium, quin meterologia vulgaris aliam mox faciem sit indutura, Optimo suo merito sanè Cokio-Slüteriana Meteorologia & insigniter laudata & egregiè aliis commendata tom. 3. observ. selectar. Halens. obs. 20. à p. 394. Non possumus etiam, quin doctos rogemus, ut unà nobiscum observent, an certitudine infallibili gaudeant ea, quæ Presbyter Syro-Damascenus, quem nuper hic Vratislaviæ vidimus, Viro Clar. Georgio Ba-

glivio Romæ ſuggeſſit, & ab hoc propoſita fuere in experimentis de ſangvine &c. quæ ſpecimini 4. librorum de fibra motrice addita ſunt. Nimirùm Sacerdos ille *ita procedendum eſſe docuit: poſt duas vel tres horas à facto novilunio, vide, quæ temporis conſtitutio, qui Venti tunc regnent, & qualem conſtitutionem ventosque dictis horis obſervaveris, tales durabunt ad tertiam dein Lunæ ſcilicet ad dictam horam, quâ factum eſt Novilunium. Si tertio non mutetur, durabit ad 5. circa dictam horam, ſi neque quinto, ad 7mum à 7. ad 9. à 9. ad 11, ab 11. ad 13, ab hoc ad 15, inde ad 17. hinc ad 19. ad 21, ab hoc ad 23, ad 25, ab hoc demum ad 27. finem Lunaris periodi.* H. J.

Tacitè exprobrat, quòd ad ſpecialiores in deſignanda aëris conſtitutione obſervationes non deſcenderimus, at hoc neque Hippocrates, nec Ballonius, nec alii fecerunt. Si animus fuiſſet ſcribere Hiſtoriam naturalem, dediſſemus utique operam, ne quicquam lectorem lateret eorum, quæ circa aërem notari voluit Vir ſummus Robertus Boyle *in generalibus capitibus pro hiſtoria naturali p. 2.* at aliud erat propoſitum noſtrum.

In hiſtoria pleuritidis nothæ, quam noſtra pace componere licet cum curatione Amati Luſitani cent. 3. c. 67. p. 522. & ſeqq. nec in hiſtoria doloris lumborum invidia quicquam deprehendit, quod mordere poſſet.

In hiſtoria arthritidis obiter aliquid de inſalubritate Vini Hungarici à nobis inſperſum dictumque p. 3. Hungariæ ſolum totum ferè calce viva eſſe ſubſtratum. Id autem Adverſarius p. 18. *licenter dictum eſſe* cauſatur. At diſertè p. 4. profeſſi ſumus p. 4. illud nos aſſerere fide Jacobi Tollii, qui curioſiſſimis oculis Hungariam perluſtravit. Verba Viri illius hæc ſunt, Epiſt. Itiner. 5. p. 144. *Eſt Hungaria ea fœcunditate fertilitateque ut nulla cum ipſa Regio tota Europa, forſan & toto Orbe poſſit comparari. Fidem habebis,*

bebis, Perilluſtris Domine, ubi rationem reddidero, ſiquidem totum fere calce vivâ ſubſtratum eſt ejus ſolum, quod ſubinde tàm molle eſt, ut unico vertatur & exaretur equo. Cùm igitur cruſta ſuperior pluvia permaduerit, atque hæc ad calcem vivam penetrarit, tùm exæſtuans illa calidiſſimos expirat halitus, qui ſubtus frugiferam iſtam cruſtam excalfaciunt, Sole, qui hîc fervidus, deſuper eandem fovente. Ex hoc igitur humoris pluvialis, qui in terræ gremium deſcendit, tanta oritur fertilitas, ut ſemel leviter vertiſſe terram ſufficiat, quò luculentiſſimas fruges ferat &c. Ex his apparet, id quod non ſine optimo fundamento dictum, temerariè ab Animadverſore in dubium eſſe vocatum.

Non licenter autem, ſed imperitiſſimè Animadverſor p. 19. inter evacuationes & excretiones conſvetas naturales, *hæmorrhagiam uteri* refert, atque ita inſigne præbet documentum, eos, qui ex indicibus ſolis ſapiunt, in iisque terendis ætatem conſummunt, raro exactam rerum ſibi comparare cognitionem, ſed ſæpiſſimè in prima turpiter impingere principia.

In Hiſtoria febris petechialis Animadverſor noſter modò hoc modò illud faſtidit, ac ſanis inſalubria ſubſtituit, quaſi picâ laboraret. Initio p. 7. candidè faſſi ſumus, nobis urinas ſanorum hominum lotio ſimiles non fuiſſe oblatas, excepto unico exemplo, addidimusque fidem Auctoribus iis non eſſe detrahendam, qui ſanas urinas in febri petechiali ſe obſervaſſe ſcribunt. Miratur Animadverſor p. 26. quòd urina ſana nobis non fuerit oblata, *imprimis in Illo Collegarum, qui ultra 200. febri petechiali detentos ſine V. S. tractavit.* Enim vero nihil erat cauſæ, cur miraretur Animadverſor; nam cum febri petechiali neutiquam indivulſo nexu conjuncta eſt ſana urina, ſed, ut opti-

optimè Sennertus, quem citat, interdùm illud fit. Doctiss. Fracastorius in præclaro opere de morb. contag. l.2. c.6. fol. 119. febrim patechialem Naugerii describens, nullam prorsus facit mentionem urinæ sanæ. Zacutus Lusitanus lib.1. hist. Princ. Medicor. de morb. intern. hist. 82. quæst. p. 627. *legitimè, verè, propriè, & strictè sumi malignitatem*, scribit, *quando morbus sævit intensè, manifestè, atrociter --- & secundùm universum corporis habitum, faciem, pulsum, urinam, respirationem, excrementa, actiones &c. invadat &c.* ubi etiam in malignitate, mutationem urinæ agnoscit Zacutus ille. Burserus de *febri Epidemica petechiali probè agnoscendâ & curanda* cap. 23. disertè describit: *Quod urinas attinet ---licet eæ ratione coloris, consistentiæ, contentorum &c. nonnihil per hunc morbum varient, utplurimum tamen crassæ, spumosæ, rubicundæ, frigore corruptibiles, seu turbari & confundi faciles &c. existunt.* Agit hac de re satis diligenter doctissimus Vir Paulus Neucrantzius in eruditissimo de purpura opere cap. 16. ubi egregiè ostendit, quòd *urina in hoc morbo nec substantiâ, contentis, colore aliisque accidentibus sibi semper similis effluat.* & p. 201. ita disertè scribit: *Urinæ crassæ, turbatæ, confusæ ac rubicundo colore, saturatæ frequentiores in purpuratis febb. apparent &c.* multa alia, quæ lectionem merentur, hîc invenias. Nec Auctor pyretologiæ mysticæ hîc dissentit p. 182. scribens: *Frequentius tamen, naturâ partem materiæ corruptæ per illam evacuante, crassa & turbida apparet, ac intensioris coloris est, & crassum, rubrum ac conturbatum, diffusumque habet sedimentum &c.* His Auctoribus sexcenti alii addi possent, si id à nobis ageretur.

Quod de urina in febb. petechialibus, communiter asseritur, illud & de pulsu à non paucis traditur; sanè ex communi hac opinione ortum illud lippis & tonsoribus notum: *pulsus sanus, urina sana, & tamen æger moritur*; neque

neque tamen veritus est Celeberrimus Wedelius palàm alicubi profiteri, quòd *nunquam ferè potuerit deprehendere calorem & pulsum respondisse penitus naturali*, & non obscurè traditiones istas imperitiæ Medicorum adscribit.

Effata nostra de urina in morbo hoc epidemico, firma experientiæ basi innituntur, nec alia concuti possunt ratione, quàm exemplis contrariis, & domesticis quidem, non aliundè petitis, qua in re Momo nostrò aqua hærebit. Et si fieri potest, ut omnes ægrotantes in febri hac maligna, hoc vel illo tempore excernant urinam sanam, quod Donckert in idea febris petechialis passim tradidit, cur etiam oppositum evenire non posset, ut scilicet alio tempore febri hac correpti, urinam reddant, quæ lotio sanorum non sit similis? Agnoscit sine dubio in hac febri petechiali Græbnerus in sangvine ebullitionem & fervorem; jam audiat Joann. Donatellum de febb. malignis, contra Angeluc. disputantem p. 34. & seqq. *si quis concederet maximam adesse in humoribus omnibus & sangvine ipso ebullitionem ac fervorem, & nullam in sangvine fusionem fieri posse crederet, hunc non Philosophum, non Medicum sed lapidem existimarem; si maximum admitteret sangvinis & humorum omnium fervorem sero manente inalterato non ampliùs lapidem vocarem, sed molarem, quod si data in sangvine vehementi ebullitione, aut aliqua, quamvis parva saltem, tenuioris portionis fusione, putaret postmodùm contingere; serum ipsum neque penes colorem, neque penes consistentiam infici & alterari posse, hunc non molarem, sed tophaceum lapidem censerem. Si verò sero ipso & colore & consistentia à naturali statu vehementer aut quoquo modo recedente urinam omninò inalteratam & naturali persimilem excerni posse existimaret, eum non lapidem, sed vel argillam, vel figulinum lutumquis meritò appellaret.* H. J. Hujus tamen sententiam nostram non facimus.

 Dixi-

Diximus p. 8. in Hist. Morb. *fluxum alvi post diem septimum fuisse, ac simul testati, sumus quòd siccitatem alvi hæc febris pessimè tulerit.*

Experientiæ fide hæc asserta nostra niti omnes circumspecti Practici uno ore fatebuntur; at Animadversor, otiosus indicum compilator, ineptè cavillatur, scribens p. 26. *cum nomen nullius sit additum, ergo his dictis* (en iterum flosculos Græbnerianos) *laborat, & periclitatur fides, quæ sit penes Auctorem.* Omnes quidem nos asserimus & sanctè testamur cum alvi fluxu non aliter, quàm à nobis expositum est in febre petechiali comparatum fuisse. Singulare autem exemplum talis fluxus â D. Helwich descriptum, & ante tres annos ad Illustem nostrum Præsidem transmissum ann. IX. & X. Dec. 3. insereтur. Dum verò ait Animadversor sua lingva, i. e. barbara, *quòd inter rarissima ponenda hanc febrim siccitatem alvi pessimè tulisse*, & experientiæ & lectionis, ac judicii penuriam prodit. Quis non obstupescat Auctorem Paragraph. Hippocratico-Galenic., non nisi unum & illud quidem ex Hœchstettero potuisse producere exemplum salubritatis fluxus alvi in petechiis ex Hippocrate? Annon & Epicratis uxor habuit ventris dejectionem & sanata fuit? Annon posteritati testatum reliquit Medicinæ Parens Metonem biliosa ventris dejectione exagitatum convaluisse? Elazomerius, fide Hippocratis, à prima die usque ad 14. copiosè dejecit, & nihilominus cum sanitate in gratiam rediit. Eropitus ventris profluvio sanatus, Mulier quoque in littore decumbens, die quinto copiose excrevit & servata est. Idem propitium fatum expertus est æger aliquis in horto Dealcis, ut Virginis in Larisca, aliorumque exemplorum apud Hippocratem jam nullam faciamus mentionem. Sicco quoque pede prætérimus, quæ in hanc rem apud

Gale-

Galenum aliosque leguntur. Nec urgebimus exemplum Catharinæ, quod recitat Franciſcus Valleriola in Obſerv. p. 139. & explicat à p. 136. ad p. 140. Luculenta, ſi rectè expendas, ſalutaris per alvinas dejectiones criſeos documenta occurrunt apud Fr. Morræum Bruxellenſ. *de maligna febre paroxyſmante* Tract. 1. c. 2. à p. 23. usq; ad 37. c. 7. à p. 101. usq; ad p. 113. c. 8. & 9. &c. Nec minus notatu dignus occurrit locus apud Gerardum Columbam, *de febr. peſtilent. cognition. & curat.* (*quem anxiè quæſitum ſe non inveniſſe* dùm ſcribit p. 39. Animadverſor quàm deſultoriè in lectione Auctorum verſetur, declarat) in tractatus limine, quæ naturam febris epidemiæ Italiam univerſam ac Siciliam ſuo tempore conficientis exponit. Verba Viri hæc ſunt: *Febres erant continuæ duplicis tertianæ naturam utplurimùm referentes, acutæ, mali moris --- dùm inchoarent, ſæpè mites, quæ poſtmodùm valdè malignæ* videbantur: *pleræque diebus paribus vehementiùs affligentes. Symptomata hæc erant: In actionibus læſis quibusdam ſopores, aliis dementationes, nonnullis utraque ſupervenere: Pluribus capitis dolores, ad motum impotentiæ, ciborum averſiones: pulſus vel à principio, vel ſtatim in augmento erant parvi, rari, & inæquales, In excretis hæc fuere, nares ſanguinem ſtillabant, ſudores erant omninò non judicantes, urinæ à principio bonæ, mox turbidæ, ſubjugales, malè olentes; alvus fœtida & cum vermibus excernebat. Diſpoſitiones qualitatis mutatæ fuerunt maculæ diverſorum colorum, pulicum morſibus adſimiles, dorſo, brachiis, & tibiis efflorescentes. Ex omnibus multi mortui ſunt, evaſerunt & multi. Omnes ferè, quicunque evaſere, ALVI FLUORE ſuerunt judicati. Obſervatum fuit ſummo morbi vigore, quibus erant convaleſcendum, per ALVUM excretiones humorum apparuiſſe cum urinis omninò crudis --- pauci urinæ copia & ſudoribus ſunt judicati.* H. J. Prævotius

votius quoque obſervarat, matronam Patavinam die *febris acutæ decima ſeptima poſt fluxum bilioſum evaſiſſe*, itidemque hoc morbi die J.C. Patavinum, fluxu alvi ſanitatem recuperaſſe teſtis Rhodius cent. 2. obſ. 85. p. 96. Filiæ quoque Matris, cui febris petechialis fuit funeſta, *alvus à principio fuit laxa &c.* nihilominùs tamen illa optimè convaluit apud Donckerum in Ideâ febr. petechial. p. 334. Anno 1661. Piſis febres epidemicæ vigebant, de quibus ita Clar. Borellus ad Marcellum Malpighium: *Plerumque incipiunt cum typo febrium tertianarum ſimplicium, capitis gravitate, dolore ſtomachi, oris amaritudine, ſeptimo die febris fit continua Undecima maligna evadit, & quibus ALVI FLUOR non ſuccedit, decimo quarto die, & interdum citius moriuntur.* Et aliquibus interjectis expreſſe ſcribit, *quod poſt ALVI FLUOREM levamen ſupervenerit.* D. Sorbait tract. 3. c. 16. p. 317. gnarus utilitatis, quam laxior affert alvus, ſollicitè monet, *non ſtatim ab initio adſtringendum eſſe, ne lupus includatur in ſtabulo.* Quod ſalutare conſilium etiam calculo ſuo, niſi memoria nos decipit, confirmat Celeberr. Ettmüll. de febr. malign. petech. agens. Lectione quoque digna eſt Franciſ. Lubei Exerc. 24. de diarrhæa bilioſa c. cholera conjuncta p. 275. & ſeqq. Conf. & Primiroſ. l. 3. c. 28.

Teſtimonia aliorum cumprimis Sthalii &c. à quodam ex noſtris alibi adducta ſunt, qui etiam monuit ex Soretâ, remedia acida omnium optimè in hoc caſu ſe gerere, Conf. Soreta de febr. Caſtrenſ. Sect. 3. c. 14. Opera tamen cumprimis danda videtur, ut alvi fluxus cum ſyntexi conjunctos ab his noſtris rectè diſtingvas, qua in re Neucranzium de purp. c. 16. ſequi è re Doctorum fuerit & ægrorum. Addimus & hoc, in hac febri tùm temporis fuiſſe utiliſſimum, exhibere cibos, qui bilioſa excrementa ad exitum præparant & promovent, ut ſuo jam tempore rectè illud

ſuaſit

ſuaſit Leonhard. Jacchin. *de curat, acut. morb.* p. 123. Nec Animadverſor, ſi ullos febri petechiali laborantes, tùm temporis curavit, negare poterit, ſæpè in ægris obſervatos fuiſſe ructus, flatus, crepitus, cum flatulentis ventris diſtenſionibus. Jam, ſi in doctrinâ Hippocratis eſſet aliquantò magis verſatus, aut tantùm Jul. Cæſar. Claudin. in tract. de Criſib: p. 43. evolviſſet, diſcere utique potuiſſet, his prodromis criſin per diarrhæam prænuntiari. Nec malè ibidem Claudinus ex Hippocrate *dolorem lumborum*, ex Arabibus autem *pulſum parvum & frequentem, urinas albas & tenues* (quæ omnia in maligna noſtra febri haud raró occurrebant) tanquam ſigna futuræ diarrhææ l. c. rectè enumerat, quamvis Hippolytus Salvianus de criſibus p. 96. nec manifeſtum, nec proprium velit ſignum criſeos per alvi excrementa ſubſecuturæ, ſed illa colligere juxta eum liceat ex eò, quod *adſint criſis ſigna, deſint verò indicia vomituum, fluxus ſangvinis & ſudorum.* Verbo dejectiones in febribus poſſe eſſe criticas, nec Willis, nec Sydenham, quibus alias ſuſpectæ fuerunt, negarunt, ille enim agnoſcit l. de febb. c. 10. *circa morbi ſtatum & in declinatione ejus diarrhæam conciliari & naturâ victrice, craſſiora ſangvinis excrementa hoc modo criticè excerni;* Hic verò reſpondens ad objectionem hanc: *è re videri, ut præſertim declinante morbo diarrhæam permittas potiùs quàm ſiſtas, ſiquidem fluxus ille alvi nonnunquam criticus eſt, morbumque ſolvit* ita ſcribit: *Concedo id fieri aliquando, ut febris per hanc portam ſibi viam faciat &c.* p. 71.

Pag. 8. per ſudores effuſos à nobis intelligi univerſales eosque calidos, nemo non (modò ſtupidus non ſit) intelligit, & propterea ſudorum illorum mentionem fecimus, ut admoneremus juniores Practicos, ne iis apparentibus, ſecuri impoſterùm agant, ſed memores ſint copio-

sos sudores ab initio prosilientes esse malos, quod ex doctrinâ Hippocratis rectè inculcat Primerosius. *Si vires, inquit, sint robustæ, plenitudinem, copiam, morbi longitudinem, si imbecilles, mortem denunciant. Nam critica ne statim appareant &c.* Cæterùm scire Animadversorem Nostrum cupimus, præstantissimos Medicos haud raro ita loqui. Ballonius lib. 2. epidem. p. 170. *quadam,* inquit, *tempestate, sudores aderant magna febris parte &c.* Si ineptum nostrum Antagonistam audias, malè fecit, quòd non addiderit, *an sudores hi fuerint in toto corpore, vel circa partem &c. an calidi, vel frigidi &c.*

Rursus frivolè eadem pagina incurrit in nos, quòd Rivini, Professoris Lipsiens. celeberrimi mentionem faciamus, *nulla librorum vel locorum, aut textuum indicatione factâ;* Quasi hoc esset grande nefas & morte piandum, & Auctores scripti vel hoc solo nomine ad Indos & Garamantas ablegandi! Infelices igitur Illustres animas, Aristotelem, Ciceronem, Senecam, Plinium, Hippocratem, Galenum, infinitosque alios, ac exilio, Græbnero judice, æterno mulctandos, quibus illud cùm omnibus antiquioribus, nisi fortè Eusebium cum paucis aliis excipias, fuit in morte positum, At certè si vel hodiè viverent, errorem illum coram tribunali Animadversoris vix deprecarentur, sed Græbnerum ad tribunal Prisciani citarent, meritas daturum pœnas ob p. 28. enormiter læsam latinitatem, dùm ita scripsit: *Stillationem sangvinis è naribus semper malum portendit.*

Excretiones sangvinis in febri periculum mortis minatas fuisse, nihilominus tamen non paucos evasisse, in Historia p. 9. dictum est; Ast, Animadversor, *rarò,* inquit, *tales evadunt, si sangvinis fluxiones cum agrypniâ, sine manifesta causâ, ardore capitis, aut continuo magis, aut intenso magis,*

quàm

quàm reliqui corporis, faciei simul rubore adsit. Etmüll: Enimverò falsum est, quod Ettmüllerus scribat, raro tales evadere, sed stillicidium sangvinis ait, malum esse signum. Nihil autem novi est ægros, etiam cum malis signis reconvalescere. 2. nobis neutiquam hîc sermo est de sangvinis stillicidio, quod utique male audit apud Hippocratem l. Epidem, sect 3. Hist. 1. 3. Epidem. Sect. 3. Hist. 1. Nec sine causa idem notavit in gravissima peste ægros paucum stillasse sangvinem, & de his intelligendum illud Hippocratis: *Quæcunque absque judicationis significatione disparent, malè decernunt.* Sed de sangvinis excretionibus & hæmorrhagiis, quas subinde esse criticas, omnes experti Medici norunt.

3. Si quas fortè Animadversor Noster vidit, quarum exitus fuit funestus, considerare eum cupimus, annon hæmorrhagia supervenerit, quòd medicamenta nimis calida ab initio exhibita essent, aut quod adstringentibus illa statim coërcita, quod pugnat cum aureo Sydenhamii monito: *hæmorrhagia sæpè permittenda est, quæ plurimùm prodesse potest, nimiam ebullitionem reprimendo, aut criticè morbum solvendo.* Nam ex intempestiva ejusmodi suppressione, quanta in ægros redundare possint damna, testatur exemplum apud Henricum ab Heer obs. 5. p. 70. de puella die morbi 14. in hæmorrhagiam, cui sistendæ anum adhibuerant, incidenti. Nihil vetat, quo minus verbis Doctissimi Viri explicemus, quæ mala hanc fluxus sangvinis suppressionem exceperint: *Tota*, inquit, *facies in tantam surrexit molem, ut sphæræ, quàm faciei esset similior; puella sensu motuque apoplecticæ instar privatur: fauces asperaque arteria, grumoso sangvine fertæ broncho & stertore clangoso adstantes terrebant, qui tàm repentinam mirati metastasin formosæque puellæ deformitatem enormem revocant. Statim dixi*

impe-

impeditam à naturâ crisin arte resarciendam, sanguinem malè ab ignorante vetulâ coërcitum debere eâdem, quam natura monstrat, viâ, fluere, aut quia hoc amoto etiam periapto non succedebat, bracchii primum, dein & saphænarum venas pertunderent. His laxè depletis sensum motumque recuperavit. Postridiè toto corpore applicatæ cucurbitæ cum sacrificatione, unde mortem, quæ jam fauces ejus prehenderat, evasit; fotibus demùm & suffumigiis faciei forma rediit. Pulcherrima verò est epicrisis, quam Auctor noster subjungit his verbis: *Et hîc docetur Medicus, naturæ minister motum naturæ Dominæ suæ observare, nihil, ea operante, temere mutare, nisi ut vel effrænem frænet, vel ut pigriorem excitet.* Cæteroquin minime inficiamur, aliis locis ac temporibus in febri petechiali hæmorrhagias discrimen attulisse, sicut intelligere licet ex Nicol. Mass. de febb. pestilent. & Fracastor. l. 2. de morb. contag. c. 7. In peste etiam Atticâ

Multus capitis cum sæpe dolore
Corruptus sanguis pletis ex naribus ibat,
Huc hominis totæ vires corpusque fluebat.

ut loquitur Lucretius lib. 6. de rer. natur.

Quæ de Physicis Animadversor admiscet, hujus loci non sunt. Minimè tamen verum est, quod (1.) parentes exprobrarint. Res, nisi fallimur, ita gesta est; in Græbneri libello supplici supremæ S. Cæs. Maj. in Silesiâ Curiæ Anno 1700. exhibito reperiuntur verba: E. Hochfürstl. Durchl. und einem Hochpreißlichen Königl. Ober-Ampts Collegio --- ist vorhin bekandt/ welcher Gestalt Ihro K. u. K. Maytt. mich in den Grad des Adels/ wie solchen die von Grebner von Ihro Käyserl. Maytt. Ferdinando III. Glorwürdigster Gedächtnüß/ als König in Hungarn erhalten/ Allergnädigst gesetzt und erhoben ꝛc. ꝛc. Ille Tuus libellus, cum Physicis traditus esset, meritò obstupuerunt,

se

Te genus tuum deducere â Græbneris in Ungaria, cùm Vratislaviæ nemo ignoret, & Patrem Tuum & Avum ac fortè Majores plures fuisse textores. Verba Physicorum ita sonant: dann uns gar zuwohl bekandt / daß sein Vater ein alter Mann von 60. Jahren hier allezeit das Züchner Handwerck getrieben / sein Großvater auch zu Bartenstein in Preussen = = ein Leinweber gewesen. Quibus verbis nihil famæ Parentis tui, quem nemo negat honestum fuisse Virum, & artificem sellurarium, ullo modo detrahitur.

(2.) Nec nobilitatis Tuæ insignia ullo pacto Physici violarunt, tametsi ignobili textorum sangvine Te satum esse hodieq; adhuc affirmant. Absit, ut tibi nobilis axioma & jure negemus, vel etiam invideamus, (multò sanctioribus imbuti sumus opinionibus) nec, crede nobis, splendorem nobilitatis tuæ apud cordatos obscruritas natalium obfuscabit, modò ridiculè non satagas nobis, aliisque (qui rectiora edocti) persvadere, te ex nobilibus genus ducere.

(3.) Nec majori fundamento nititur assertum, quòd Physici *contumeliosè Conjugem tuam insectati fuerint*, ambabus largiuntur, eam *esse fœminam*, sicuti Tu justissimus virtutum ejus præco effers, *eximia probitate, summa integritate, & pudicitia singulari* modò ipsis etiam, quod omnes hic norunt, ingenuè concedas, eam, antequàm tuis corruscaret radiis, in *Alutarii* vixisse toro, nec Tibi tùm temporis, cùm fœdera matrimonii cum illa pangeres, ne per somnium quidem, in mentem venisse, quòd ex Nobilium Græbnerorum stemmate oriundus esses. Verè autem generosum in Te bullire sangvinem jam agnoscunt Physici, & dolent ex animo, quòd illustre Reineri Reineccii opus *de familiis Illustribus* non sit ad manus. Nam curiosius &

D Peri-

Periclis & Chabriæ genealogiam nisi fortè illam Reineccius præterierit, scrutarentur, & ad nostra usque tempora deducere conarentur. Hac enim ratione fortassis evidentius appareret, quare Periclis verba Græbnerus pag. 31. ad sese transferre queat: *Ac mihi quidem vos irascimini ei Viro, qui nemini vestrum cedo vel peritia rerum, vel elocutione intellectarum, vel amore Patriæ vel pecuniæ despicientiâ.* Et Illud: *Hoc commune vitium in magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriæ comes sit, & libenter de his detrahant, quos eminere videant altiùs &c.* De studiis & profectibus Græbneri, quid sentiamus, alibi expositum est. A nobis certè nemo jure exiget, ut eum *abyssum eruditionis, Scientiarum Mare, Solem doctorum, perpetuum literarum Dictatorem Maximum Naturæ opus & miraculum ac extremum ejus conatum, appellemus, quibus* aliàs encomiis Scaligerum ab Heinsio quondam fuisse ornatum, recordamur. Sed hæc in transitu dicta sunto.

Quosdam Practicos cum Fracastor. Thonero, Heurnio &c. in febri Petechiali V. S. omittendam censuisse dictum fuit p. 13. quod de Fracastorio & Heurnio credere non potest Animadversor. At verò Fracastorius l. 3. c. 6. p. 138. initio testatur controversiam circa phlebotomiam fuisse ortam, *aliis protinùs & largè sanguinem haurientibus, aliis nunquam volentibus secare venam, quòd vidissent majorem partem eorum, quibus secta fuisset, vitam finire &c.* deinde p. 139. ipse Fracastorius, quid de V. S. in hac febri statuendum sit, exponens his utitur verbis; *Quærendum imprimis de phlebotomiâ videtur, utrum conveniat in his febribus -- quoniam certè res cecidit annis superioribus, ut major pars phlebotomatorum perierit. --- Si igitur & nunc quoque aut futuris temporibus extrinsecus videris accessisse contagionem, non affueris autem circa principia* (ut Medicus rarissimè adest) *præsertim si nec adesse magnam plenitudinem animadverteris, tum satius*

erit

erit Venæ parcere. Sed audiamus, quid Animadverſor dicat de Heurnio? *Hic quoque*, ait, *in petechiali febre venam ſecuiſſe probant ejusdem verba cit. loc.* (de febr. c. 19.) *Tamen quia adeſt maximus morbus, maximè ſi materia non fuerit aliena à ſangvine, maximaque ejus ſi adfuerit ebullitio, ut cùm adſunt veſtigia, quæ maximè circa collum & ſcapulas efflore ſcunt, nondùm progreſſo morbo, vena ſecunda eſſe videtur.* Quam præclarè agitur cum Animadverſore, quod ei res non ſit cum illis, qui jura reddunt natibus? Quis enim quantumvis puer, non vapulat ſcribens: *His quoque ſecuiſſe venam probant?* Non ſtatim autem is venam ſecuiſſe dicendus eſt, qui dubitanter ait, videri ſibi venam eſſe ſecandam. Deinde in lib. de febrib. c. 19. p. 85. non de febribus petechialibus ſed de peſtilentibus agit, adeoque locus ex Heurnio adductus ad præſens negotium nihil quicquam facit. Et profectò ſatis emphatica ſunt Heurnii verba l. c. *religioſè ſummaque cautione in venâ ſecandâ tranſigendum eſt. Eſt enim phlebotomia remedium magnum & Vires corporis obſeſſi à peſtifera febre langvent jam vel ſaltem metus adeſt jamjam futuræ imbecillitatis, & natura ipſa intus foras elidit materiam, unde exanthemata, bubones, carbunculi: & veremur, ne in cor retrahatur morbifica materia. Quare ſi corpus purum fuerit, nec illi querela fuerit ante, puto à phlebotomia &c. abſtinendum.* Tandem ſi ullô polleret judicio Adverſarius, quam procul à præſenti diſputatione locus à ſe allegatus abſit, intelligeret. Heurnius in illo præſentibus petechiis ait videri venam eſſe ſecandam in maximâ ebullitione, de hac autem re hodie jam non diſceptatur, cum omnes conſentiant ex anthematibus jamjam apparentibus abſtinendum eſſe à V.S. ſed tantum quæritur, quid ante eruptionem macularum de V.S. ſentiendum ſit, an admittenda an reprobanda? Cæterùm ſi remotis Auctoritatibus, unicè experien-

perientiam Medicorum consulueris, quamnam in febri petechiali utilitatem attulerit V. S. *modò* expertus prodibit in scenam Joh. Agricola, & V. S. in lue hâc *lethalem* esse dicet, *modò* Augustinus Thonerus locuples erit testis, *complures febribus malignis & petechialibus obsessos, quibus Medicorum consilio sangvis* missus, intra *tres vel quatuor dies* ad orcum ablegatos, licet corpora essent plethorica, *modò* Lotichius rotundè fatebitur, febre malignâ, quæ anno 1632. ad Visurgim grassabatur, laborantes, *plerosque mortuos esse, quicunque phlebotomiam etiam ab initio & tempestivè admiserunt, plurimos contrà exule V. S.* per *sola alexipharmaca servatos esse*, *modò* etiam Nostræ Academiæ quondam Decus & ornamentum, Fehrius, solidè confirmabit anno 1645. Svinfurti eos, qui *in hâc febri ex V. S. salutem quæsiverunt, plerosque omnes mortuos esse.* Horum Virorum experientiæ nostra conformis est, & D. Helwich sine omni sphalmate typographico, ultra 200. febri petechiali detentos tractavit. Non est sibi vanitatis ullius conscius, & quotusquisque est Vratislaviæ, qui ignoret quanta pauperum multitudo ad illum confluat ejus consilio usura, postquàm Tharoultianæ fundationi omne laude majori præesse cæpit? Septimus jam volvitur annus hujus functionis, & quotannis facilè 4000. Illustrissimi Fundatoris beneficio sub curâ illius fruuntur. Nec, ut novit Animadversor, etiam desunt alii, qui rem pretiosissimam, i. e. corporis & sanitatis custodiam ei crediderunt. Quid ergo erat causæ, cur numerus Tibi, Græbnere, esset suspectus? Scilicet Tuæ praxeos modulo metiebaris etiam aliorum labores, quod perinde est, acsi tuo pede etiam alios metiri velles. Si hic noster Animadversor incideret in Celeb. Wedelii locum p. 122. *opilogiæ*, qui ita sonat: *Sanctè testor, nec omnibus dysentericis, quorum ultra quadringen-*

tos curandos habui, eum felicissimo successu propinasse opium, & plerosque illos evasisse feliciter notavi; si, inquam, in locum hunc incideret Animadversor, quantum non subesse mendum suspicaretur, aut quid non causaretur? Non unâ capimur omnes voluptate, alii amant praxin cinicam, licet multis circumfusam molestiis & mille tædiis, alios delectat Musica, alios nescio quod cum Thaide, Glycerio, Juliana &c. commercium.

Cæterùm nuper quæstionem hanc de V.S. in febb. acutis acutè ventilavit Celeb. Georg. Ernest. Sthalius in peculiari disputatione & egregiè expendit, *an V.S. in febre acutâ tolerari queat, licita & innoxia sit? an V.S. febri conducat, utilitatem aliquam aut planè insignem conferat? an non solum utilis, sed etiam planè necessaria? an verò tandem periculosa, aut planè noxia esse possit?* & §.70. tandem has format conclusiones: (1) V.S. *in febribus acutis excepta* (*non tamen absolutè*) *continente nunquam est necessaria &c.* (2.) *V.S. in febb. acutis* (quales utique sunt petechiales) *longe frequentissime imò communissime fit noxia &c. Modus*, ita pergit, *quo noxium effectum inducit, sunt exundationes illæ circa criticos ad caput, quæ, quia restrictione reliqui corporis interni æque atque externi compressoria perpetrantur, & secretiones colatorias & excretiones diuretico-diaphoreticas & exanthematicas supprimunt &c.*

In ordinanda diæta nos ferè Syndenhamium secutos esse, ac cibos tenues, juscula avanacea, hordeacea, pruna cocta, poma Borssdorff. ægris commendasse p.20. insinuavimus. Quis ab ullo mortalium, cui vel mica salis est, obelisco hæc notari posse crederet? Notavit tamen Græbnerus, & his quidem verbis: *Ut Angli & Silesii aërem & cœlum non habent unum & idem, sic vita & moribus sunt diversissimi; hinc alia diæta Anglis, Silesiis alia est præscribenda diæta.*

 Ecce,

Ecce, *ut curtum ſermone rotato torqueat enthymema!* Incertum, majorne ſit in Græbnero inſcitia, an impudentia? Nos gnari diſcriminis, quod in vitæ genere, aëre &c. nobis cum Anglis intercedit, cautè diximus nos *fere* Sydenhamium eſſe ſecutos, & ſanè apud Nos *hydrogala* ſæpius à Sydenhamio commendata, non adeò in uſu eſt, nec ſcripſimus eosdem tenues cibos, quos Vir ille ægris præſcripſit, noſtris febricitantibus à nobis fuiſſe conceſſos, ſed tenues reliquis fuiſſe antepoſitos indicavimus, licet alii tenues cibi à nobis adhibeantur, alii ab Anglis, ut ipſa res loquitur. At noſter, ſive ex inſcitia, ſive vecordia, genus cum ſpeciebus turpiter confudit, atque fallaciam figuræ dictionis, ut Logicorum vocant filii, commiſit, atque his parentibus nata eſt inſulſa illa Animadverſio fœtus Græbneriano ingenio digniſſimus. Enim verò nos non ſolos petit Animadverſio illa, ſed omnes cordatos Medicos. Ipſe Medicinæ Parens Hippocrates unicè in morbis acutis cibos tenues ſvadet & enixè commendat; proſtat hodieque adhuc aureum ejus opus *de ratione victus in morbis acutis*, quod ab aliis inſcribitur, *de ptiſanâ*, ſub hoc ſanè nomine, ut rectè obſervavit Doctiſſ. Valleſ. initio commentar. p. 395. citatus eſt à Plinio l. 28. c. 7. Tanto in pretio ſcriptum illud eſt, ut Proſper Martianus pag. 377. in hæc erumpere verba non vereatur: *Ego autem, me hercule, fateor, majorem utilitatem ad praxin ex hoc libro percepiſſe, quàm ex quovis alio Hippocratis opere.* Quotquot genuini Filii Artis poſt Hippocratis tempora vixerunt, ejus veſtigiis ſibi inſiſtere pulchrum duxerunt. Meretur hic etiam legi c. 4. ex lib. 3. Jacob. Primeroſii *de vulgi erroribus in Medicina*, in quo non malè oſtendit, *ægris non pleniorem ſed tenuem victum convenire.* Et quod ægri ad victum pleniorem adigendi non ſint, graviter monet Lipſienſium Ille Æſculapius,

pius, Bohnius in eruditissimo opere *de Officio Medici &c.* c. 20. p. 391. scribens: *Impræsentiarum detestandus potius est mulierecularum nostratium mos pravus, quo ægrotantibus, non tantùm plus justo alimentorum indulgent, sed nolentes volentes ad hoc urgent; quasi debilitatis vel à morbo, vel ab evacuatione medica, pastus plenior necessarius sit pro viribus exhaustis resarciendis, ac quasi, quod sensim sensimque perditum, mox uno pastu ac die sit reparandum, minus pensitantes huic concoquendo & digerendo illas non sustinere hincque obrui.* Et si vel decem unquam curavit peracuta febre correptos, scire potest, quanta sit in ægris à cibis solidioribus & cumprimis carne, aversatio, quam optima niti ratione in aprico est; illo enim tempore, quo massa sangvinea omnesque corporis humores ad excludendum miasma, & avertendum impendens corruptionis periculum laboriosè & impetuosè, commovetur, cibis solidioribus ad putredinem satis pronis corpus infercire, nihil aliud esset, quàm oleum igni affundere, præprimis quia languente ventriculo in tanto fervore concoctio nulla sperari potest. Non possumus, quàm adhuc adscribamus verba Pompeji ex nov. method. febr. cur. p. 49. quæ ita sonant: *Victus ratio sit omninò refrigerans & tenuis, ideò vitanda summo studio ova, multum Spirituum & bilis subministrantia, & pulmentum ex herbis, & hordeo & solo pane sufficiat ad quotidianum alimentum, & in pauca etiam quantitate, maximè in vigore morbi, quia tunc maximè distrahitur natura per cibum à concoctione & à materiæ peccantis segregatione &c.* Idem etiam diligenter inculcat Soreta Sect. 3. c. 4. p. 278. observans, quòd à pleniori aut minùs convenienti victu symptomata accersi soleant, quæ aliàs *tempore distributionis chyli*, contingunt, quo *crebrius ac crudelius quàm aliis horis ægrum propter majores sangvinis per arterias propulsi refrænationes* solicitant. Et

rur-

rursus cap. seqq. docet, quæ *penes ægrum, dum in morbi statu* versatur, observanda sint, hæc regulis includit, inter quas prima est p. 293. *ægrum circa statum pleniori victu non onerandum esse.* Horum Virorum vestigiis porrò insistemus, id si Animadversori non placet, suo per Nos abundet sensu. Faciat etiam periculum & imposterum suos fabricantes repleat fungis, cucumeribus, fabis & brassicà muria condita, imò & glandibus, quibus quondam prisci mortales usi fuerunt. Distendat quoque eorum ventriculos carne suilla fumo indurata, halecibus, ovis ad duritiem coctis, massis ex farina & spuma lactis pinsis imò tostis *marcentem squillis recreabis & Afra potorem cochlea;* Cave verò obliviscaris casei, inter quos olim non postremo loco erat *acetosus oxyrias*, Siculis quondam in usu, ad quorum exemplum etiam quidam apud nos consiunt, quæ cerevisiæ potatoribus sitim acuunt, nec non *opias*, cujus mentio est apud Eustathium. *Multis enim in silesia caseus est in miris delitiis.* Imò si ne intra hos se contineat limites, expectabimus, quem sit ægris victum præscripturus, certè, ut speramus, non illum, quem elegans Poëta adumbrans ita canit:

Vidi ego in Arctois implexis Tartaron oris
Immanes avidis dentibus esse feras;
Vidi & equina fero laniare cadavera morsu
Crudaque Sauromatis frusta fuisse cibum,
Quas ego non Alces immania monstra comedi?
Quos ego non uros semiferasque boves?

Sed penè exciderat Animadversorem aliqua etiam tricari de convulsionis & motuum convulsivorum differentia, quàm, quòd & Nos non ignoremus, elucescit ex obs. 198. Dec. 3. A. 7. & 8. ubi verba Thiermairii seqq. adducta leguntur: *Spasmus seu convulsio est musculi versus suum principium*

um contractio, rigido exin membro remanente, hoc enim differt spasmus à motu convulsivo, quòd in convulsione seu spasmo membrum ex contractione rigidum permaneat, in convulsivo verò & spasmodico motu membrum agitetur, vibretur, & variè concutiatur; Spasmos verò ante eruptionem exanthematum in febri maligna, & superioris seculi anno 99. observavimus, & nuper adhuc duo, ex Nostris nimirùm D. D. Preus & Helwich in adolescenti nobili luculentum viderunt exemplum tetani cum hac febri complicati: *Æqualiter ante & retrò tensum erat corpus & quasi in æquilibrio neque ad anteriorem neque ad posteriorem partem vergebat*, ut cum Sebizio loquamur: credidisses corpus totum quasi ex *uno osse connexum* esse, certè non aliter, quàm truncus aliquis erigebatur. Mitèscebat quadantenus affectus, cùm copiosè exanthemata in pectore, dorso &c. efflorescerent; nihilominùs vis morbi opem omnium medicamentorum eludebat & æger die morbi XI. fatis concedebat.

Rursus censoriâ stringit virgula ingenuam Nostrorum confessionem, *quod dierum criticorum adeo scrupolosi observatores non fuerimus; Nemini*, inquit, *probatur*. Imò, Græbnere, quàm plurimis & primæ classis Medicis, qui longa experientia didicerunt, crises apud Nos esse *rarissimas*, si verò crises adeò raró eveniunt apud nos, cur adeò scrupulosè dies observabimus criticos? Quòd autem raró contingant crises, doctissimi Viri ingenuè fatentur. Ex Italis prodeat Prosper Martianus l. 2. morb. sect. 2. p. 174. ubi disertè agnoscit, *nostris temporibus raró fieri crises.* Ex Germanis huic veritati suffragium præbet Vir Doctiss. Casp. Hoffmann. l. 4. Institut. c. 28. p. 628. Tyronem alloquens: *interim præmonitum Te volo, crises quidem apud nos esse ranissimas --- dies autem criticos non multo certiores annis climactericis. Quidam -- totum negotium habent pro*

 nuga-

nugatorio. Celeb. Schelhammerus in differt. *de genuina febb. curandi methodo* p. 3. §. 43. p. 219. eidem veritati subscribit. In Vade mecum Waldschmidian. p. 175. discentibus inculcatur *quòd hoc nostro tempore rariùs apud nos contingant tumultuariæ ejusmodi perturbationes, & ancipitis eventus mutationes, ob climatis diversitatem, & quòd ipsis febribus maturè subtrahamus pabulum laxativis benignioribus ac enematibus, fermenta peregrina subigamus præcipitantibus & absorbentibus.* Helmontii Asseclæ, quid de crisi sentiant, notissimum est, nec quenquam fugit dogma ab Helmontio in tract. de febb. expositum, cujus summa est, *Medicum verum ante crisin morbum superare debere, ideoque nec crisin expectare, nec optare &c.* Res esset tædii plenissima Anglorum, Hispanorum, & Gallorum testimonia, quod quidem nobis non esset adeò arduum, huc transferre. Rursus etiam illud in confesso est, dierum criticorum numeros ex receptâ opinione, definitos non semper sibi constare, quod nisi fallimur, adductis exemplis plurimis, ostendit Cagnatus, & illud æternum eruditæ Germaniæ Decus G. H. Welschius alicubi hæc habet verba: *Sanè quæ de septenariis vulgares Medici sibi pollicentur, incertissima sunt, -- -- Id olim jam Argolus pluribus exemplis ostendit, Ludovici XIII. Regis Galliæ, cui XIII. non XIV. critica existit. Cardinalis item Scipionis Cobellutii & Octaviani Fratris Cardinalis Ubaldini in febre malignâ &c.* Hoc cùm Viri eruditi cernerent, nihil quicquam moti Auctoritate Hippocratis, palàm Pythagoricos illos dierum numeros exploserunt: Inter illos Princeps est Celsus Asclepiadem secutus, *qui jure ut vanum repudiavit, neque in ullo die quia par imparve esset, ægris vel majus vel minus periculum esse dixit* l. 3. de Medic. c. 3. Ex quo multa alia ad hanc causam facientia excerpenda forent, sed quæ rectius in auctore ipso legas, nobis sufficit finem illius disputationis

nis ex Celso l. c. p. 122 annectere: *Adeò apparet, quacunque ratione ad numerum respexerimus, nihil rationis sub illo quidem Auctore, reperiri. Verum in his quid antiquos tunc celebres admodum Pythagorici numeri fefellerunt, cum hic quoque Medicus non numerare dies debeat, sed ipsas accessiones intueri.* Nonnulli reverentiâ antiquitatis ducti, aliud firmius de diebus criticis opinioni fundamentum substernere voluerunt palam professi, *criticorum censum non ad Lunæ phases singulis mensibus consuetas, neque numerum dierum, qui sæpè fallit, reducendum, sed ad motum illius per quadrata Zodiaci signa inæqualem scilicet, neque semper septenario respondentem, cujus excusatio tot ineptias præpostere propugnantibus olim pepererat;* secutique videntur hàc in re doctrinam Argoli, qui lib. 1. de dieb. critic. c. 21. hæc habet: *dies critici decretoriique sicut indicativi, cum ex motu Lunæ fiant, ii dicuntur, in quibus Luna præstitum in Zodiaco Censum Luminis absolvendo ad suas pervenit qvadratas radiationes oppositioneḡ à loco, inqvo morbi ipsius principio fuerat: quæ cum ob sui motus inconstantiam, modò tardum modò celerem expediat ad ea loca curriculum, critici dies stato ordine perpetuo stabiliri non possunt. Hinc sane 7. 14. 20. semper critici non sunt, cum in diebus aliis, quam destinatis ad criticam, crisis Lunæ motu perfici possit &c. &c.* Sed, ut impudens Adversarios firmioribus constringamus frænis, ostendamus ne ipsum quidem Hippocratem, tantam in diebus criticis collocasse fiduciam, aut adeò scrupulosè observasse. Singulare nobis hic fecit otium Plempius & Celeb. Lucas Tozzius in comment. in aphor. Hippocr. l. 2. p. 242. & seqq. & l. 4. p. 269. in priori loco hæc habentur verba: *In die sexto judicati referuntur Virgo Larissæa, Heraclides, Euriaнactis filia, peregrinus quidam adolescens aliique plures. Et Gorgiæ uxor in 41. fulloni in Syro-phrenitico 18. die morbus remisit, & Polycrati in 15. decimo die Pythio judicatus est, & Hieron. in 15.*

Scribit quoque 4. Epidem; l. 2. in his temporibus 6. & 8. judicabantur omnia circa Plejadum occasum. Et 1. Epidem. sect. 3. multi morbi judicabantur perfecte 18. Sic pariter alios & alios memorat & paribus & imparibus diebus adhuc extra criticorum dierum seriem ab ægritudinibus salutariter liberatos, --- quamobrem jure optimo Celsus, -- vanam statuit criticorum dierum observationem &c.

Plura ex Castello aliisque contra Animadversorem afferri possent, sed hic subsistamus hâc vice, id solùm coronidis loco annectentes, textum Fracastorii inepte contra nos allegari, cùm nemo Doctorum ampliùs ad *fictitiorum illorum Fracastorianorum motuum humoruum stateram dies* criticos examinet, ex qua tamen hypothesi effatim Fracastorii originem trahit.

Et hæc dicta sunto de iis, quæ contra Historiam febris petechialis in Animadversionibus suis Adversarius adducit.

Novo autem nos crimine onerat in stultissimo libro *de plagio* Græbnerus plagiarius, quasi in Historia hac, nescio, quam disputationem Anno 1699. d. 23. Septembr. Halæ habitam compilassemus, cùm illa febris petechialis historia ab aliquò ex nostris adornata Anno 1699. primo vere & Regiomontum, & Haffniam & Halam & ex ædibus Rudolphianis per hominem artis pharmacevticæ peritum ad Excellentissimum Wurlbainium Noribergam fuerit missa. Imò si res tanti esset, probari utique posset, nostram historiam, quoad eam partem, quæ de febre petechiali agit, jam typis fuisse expressam, antequam Hallensis illa *febris malignæ petechizantis historia* limina Vratislaviæ salutaret.

Mira autem vertigine Græbnerum laborare necesse est, nam in ipsis Animadversionis Textibus Salii, Diversi,

Fraca-

Fracastorii, Sennerti, vanissime implet chartas, ut nos in suspicionem adducat, quasi horum virorum lucubrationibus nimis familiariter essemus usi, in plagio autem, quasi diffideret sibi, aliis technis utitur. Subdensis autem impudentiæ cineribus tandem obscura quædam lux candoris in fastuosa illa ad Excellentissimum Hertodt epistola emicat, ubi conscientia convictus, falsas esse criminationes, quibus nos & in miseris illis *Animdversionibus & plagio Medico* oneravit solam objectat *Conringii disp. de Ascite* (quæ tamen & ipsa à nobis ingenuè laudata est) sed ubi ad illum locum fuerit deventum, operam dabimus, ut vel puer palpare manibus queat, Græbnerum aut impudentissimmè mentiri, aut hominem nullius prorsus esse judicii. Æternum autem candoris ingenui monumentum erit illa libera confessio quæ p. 21. in Historia Nostra occurrit, *quòd studiose antecessores nostros consuluerimus, & studiosè contulerimus cum iis, quos ipsi descripserunt similes, & non pauca in nostram & ægrorum utilitatem converterimus.*

In historia odontalgiæ & hemicraniæ non invenit, quod carperet. Tantùm notabimus verba illius p. 44. *huc referri merentur vesicatoria, quæ in odontalgia multùm prosunt. --- Et nuper à quodam non Medico (quorum ingens multitudo in omnibus civitatibus) cuidam virgini in dolore dentium vesicatorium, ut vocat, indolens applicatum fuisse, mihi narrabatur, à quo quidem dolor mitigatus, sed breve tempus recidivus factus; quod aliàs Medico docto non accidisset, ratione & experientia instructo.* Hic dubius, ùt arbitramur, hærebit Lector, an magis nitorem & elegantiam styli Græbneriani, an verò judicii robur & præstantiam admirari debeat? Quid enim cum majori acrimonia judicii practici scribi poterat, quàm Medico docto ratione & experientia instructo acci-

dere non posse, ut sopitus dentium dolor recrudescat & crudelius ferociat, seu verbis Græbneri, ut *dolor mitigatus sed breve tempus recidivus factus* conspiciatur? Ex hoc ungue cognosce Leonem, sed quem ne pueri quidem vereantur.

Nec in historia Icteri deprehendit, in quo ungves defigeret, nisi fortè nos ferire debeant verba Sennerti p. 47. mutilatè adducta, quæ volunt *eos Medicos non leviter errare, qui sine discrimine remedia proferunt, quasi illa Ictero laborantibus conveniant simpliciter, cùm certum sit, variis icteri differentiis varia medicamenta convenire*, attamen si nostra, quæ l. c. in Historia occurrunt, attente legas, non nos, sed aërem verberabunt. Quanquam liberè fateamur, nos assequi non posse, quomodo aliis remediis, quàm aperientibus & attenuantibus ictero occurrere liceat. Aut hæc morbum expellunt, aut ille prorsus nullis superabitur medicamentis. Nam si quid videre nobis licet, in ictero aut bilis *visciditate suâ* peccat, aut *organa secretioni dicata, citra culpam viscositatis aliunde obstructa* sunt, aut *utrumque vitium* concurrit. Non absque causa Clar. Hartmannus *fermè*, inquit, *asserere ausim pleraque omnia hepatis mala à viscositate, & hinc ortâ in systemate pororum biliariorum obstructione initium sumere.* Et rursus: *gravioris Icteri causa non potest non à bilis viscositate suboriri, qua non solum pori minores, sed & majores rami infarciuntur, ut in glandulas conspicuas plexus minores extollantur & indurentur, totique hepatis parenchymati & color nativus & mollities solita decedat.* In utroque casu aperientia & attenuantia sunt sacra illa anchora, ad quam ægris & Medicis confugiendum. Et nisi his remediis æger sublevetur, omnino metuendus est scirrhus hepatis, quem presso pede cachexia, hydrops &c. excipiunt, ubi ferè actum esse de vita solet, sicuti tùm aliàs multoties, tum ante annum

in Nobili, hoc verò anno in Mercatore Dn. D. Graffius & Helvvich sunt experti. Et nonne ipsæ fæces satis loquuntur, quod in ictero per communem ductum bilis ad intestina non amandetur, id quod etiam confirmat color *corporis citrinus ac flavus*, quæ si accurato judicio conjunctim ponderes, intelligere facilè licebit, sanguinem venosum portæ in quovis Ictero *in plexus vasorum, biliariorum validè impingi*, ac in illis aliquantisper *morari*, & *oppilationis* communem esse auctorem, indeque evenire, ut bilis intra plexus minores coërcita in majores ramos non exundet, neque consvetis ductibus ad intestina manet, atque hâc deficiente, scybala aliter colorata excernantur; quoniam autem perpetuò sanguis uberrimè per venam portæ ad hepar derivatur, fieri aliter non potest, quam ut obstructis plexibus biliariis minus defæcatus in venam cavam effundatur, & tandem venosus ille cum arterioso mixtus, & undiquaque ad partes corporis ablegatus habitum externum alio colore imbuat. His verò ita sese habentibus, etiam luscus videt, in Ictero indicari attenuantia, aperientia, lenissime laxantia &c. quæ quilibet circumspectus & expertus Medicus, pro subjectorum, temperamentorum, ætatis, vitæ generis &c. differentia ad lectos ægrorum variare noverit.

In cura exanthematum p. 48. potiunculis ad morem Sylvii paratis additum à se, ait, sirupum de *succo scabiosæ*, quasi à nobis & aliis Practicis, pro re nata, idem factum non esset.

In historia Asthmatis fraudem suam & libidinem contradicendi ac summam judicii inopiam clarissimè exposuit Græbnerus. In fine p. 26. & 27. citavimus Ann. 17. Ephemerid. obs. 133. p. 256. quæ est Clar. Lentilii. En! verò vafrum Græbneri ingenium, dum ita scribit: *Lege Ephemerid.*

ann. 7.

ann. 7. *Dec.* II. Græbnere! annon ann. 17. Ephem. eſt ann. 7, dec. II. ?) *ubi Dn. Roſinus Lentilius obſervationem habet aſthmatis* &c. at hæc ipſa obſervatio à nobis eſt citata. Qua ſophiſtica fraude etiam alibi ſæpe utitur, ex ſcabioſo contradicendi pruritu. Infantiam judicii autem prodit, ſcribens: *An hæ duæ obſervationes* (noſtra de aſthmate Illuſtriſſimi Viri & Lentiliana de Monialis) *ejusdem ſint generis*, *& an hæc cum illa comparanda & adæquanda valdè dubito;* Quis verò fatue Animadverſor, ita deliravit, ut ſcriberet Aſthmata hæc ejusdem fuiſſe prorſus conditionis? Cum larvis luctaris! Nos has duas Aſthmaticas perſonas conveniſſe indicavimus, non in *omnibus*, ſed in quibusdam ſymptomatibus. Ambabus vultus turgebat, oculi ambabus prominebant, utrobique aderant præcordiorum anxietates & pectoris anguſtiæ, ſudores quaſi ſyncoptici &c. Si non credis Illuſtriſſimi Viri Aſthma his ſymptomatibus fuiſſe ſtipatum, Ipſum, quæſo, adi, vitali adhuc fruitur aura, & certisſimus de ſingulari & incorrupta fide noſtra erit teſtis. Vera etiam ſcripſiſſe Lentilium, utrinque credimus. *At*, inquis, *hæ perſonæ differunt ſexu, ætate, temperamento &c.* quid inde? An duæ perſonæ diverſi ſexus, ætatis alius, & temperamenti alius &c. non poſſunt in affectu quodam *genere eodem*, iisdem ex parte ſymptomatibus eſſe obnoxiæ? Annon Vir cholerico-ſanguineus in ſenio conſtitutus, & puella aliqua phlegmatici temperamenti in hydrope & difficultati reſpirationis & ſiti æque ſubjecti ſunt? Annon utriusque corpus in tumorem attollitur? annon etiam effluxus urinæ &c. utrobique parcior eſſe poteſt? Non negabis, ut credimus. Quod autem in Hydrope contingit, etiam in aliis morbis, adeoque etiam in aſthmate toto die evenire & poteſt & ſolet. Et licet Aſthma humidum, à ſicco differat, ſymptomata tamen quædam utrique com-

mu

munia ſunt, ut notum eſt. Sed tædet Bucconis & Brochi hujus ac arroſoris noſtri ineptiis diutius immorari. Unum adjicimus, Illuſtrisſimum Virum, cujus Aſthma deſcripſimus, etiamſi ab illo tempore thermis Carolinis aliisque uſus fuerit, hodienum adhuc cum diro malo confli-ctari.

P. 51. Græbnerus citat *Hertodt. in Chronolog.* ſed nullam, quantum ſcimus, Illuſtris Ille Vir, Chronologiam edidit, quamvis Crocologia ejus pueris nota ſit, in cujus p. 124. hæc leguntur: *Vetus Aſthma mirabile phantaſma, quod nullum curat cataplaſma.*

Quæ de tuſſi convulſiva infantum & atrophia ſcripſimus, ipſe livor Græbneri probare debuit; niſi, quod bene moneat p. 31. in H. N, legi debere lactentes; & occaſionem dilatandi fimbrias p. 53. arripiat, atqve atrophiam à vermibus capillaribus oriundam, ſæpius à ſe obſervatam, & *dicto* (ſcilicet in Hiſtoria Noſtra) *modo* curatam à ſe fuiſſe glorietur. Vocet ſe, per nos licet, Medicum atrophiæ verminoſæ Græbnerus, & vocetur ita ab aliis ſono quam maximo, utre quam maxime inflato, quid iſtam rem curemus Nos?

In Pag. 55. Animadverſ. merentur notari verba Græbneri ſeqq. *D. C. T. Bierlinus: obſervationem habet diarrhœæ chyloſæ cum atrophia propter lactearum Meſentericarum obſtructionem in Ephemerid. Germanic. (Dec. 1. An. 2. obſ. 152. p. 237. & 238.) quæ NB. hûc optime quadrat.* quibus evidenter declarat, quod obſervationes Medicorum alibi viventium, Hiſtoriam morborum Vratislavienſium optime illuſtrare qveant. Quid itaque cauſæ erat, cur in præfatione epiſtolari nobis vitio verteres, quod ultra CCCC, Auctores à nobis eſſent citati, ſc. Auctores exteri, quos Græbnerus allegat, faciunt ad illuſtrandam morborum Vratislav. hiſtoriam, quos Nos verò laudamus, minimè gentium, imò

F evin-

evincunt, nos morborum totius Europæ, non Vratislav. Hiſtoriam ſcripſiſſe. Vide Græbnere, quam Te immane in nos odium non tantum faſcinarit, ſed excœcarit!

Magis in fermento fuit Animadverſor in Hiſtoria hæmoptyſeos. In H. M. p. 33. hæc leguntur verba: *Paucos revera vidimus ſine noxa evaſiſſe hæmoptoicos.* At Græbnerus *multos*, inquit, *revera evaſiſſe hæmoptoicos & à me, quod præfiſcini dixerim, curatos ipſe confirmare poſſum.* Utinam potius alii illud de Te confirmare poſſent! At certiſſimè (niſi ſoli obloqui velis, ſi alios conſulas) Multi illi à Te curati vix totidem erunt quot ſunt *Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.* Verbo: Hoc λάπισμα tuum nimis immane eſt. **Es iſt ein allzuweiter Schuß.** Quotquot Medicinam ſcriptis illuſtrare aggreſſi ſunt, & de hæmoptyſi egerunt, periculi eſſe pleniſſimam uno ore fatentur. Et nota eſt illa Hippocratis paranomaſia αἵματ@ πτύσις, φθίσις, quæ à Medicis plurimis eſt repetita. Longa ſerie Auctorum ſuffragia adduceremus, niſi illud vulgare nobis notum eſſet: Etiam *mel ſaturis inſuave.* Ne verò Tibi blandiaris, etiam Nobis lecta ſunt exempla curatorum à ſputo ſanguinis, quæ in epiſtolis Caſtelli in Obſ. Rhod. cent. 2. Obſ. 30. & 31. in Ballon. Epidem. alibique reperiuntur. Aſt in his ſimilibusque aliis hiſtoriis hæmorrhoides oris cum hæmoptyſi fuiſſe confuſas, ſuſpicamur. Nos in beneficio reponere ſolemus doceri, etiam *caſtigari ob meritam noxam*, ut loquitur Plautus, niſi itaque vereremur, graviter ſtomachaturum Græbnerum, erranti illi monſtraremus viam & ad Hiſtoriam Morbor. Vratisl. ann. 3. p. 50. & ſeqq. remitteremus, ut diſcat, hactenus quidem ſe in hæmoptyſi uſum fuiſſe diagnoſi, fallaci. Certè, ſi medicamentis p. 56 deſcriptis præprimis verò ingratis illis duabus potionibus ſeu embammatis id ſe conſecuturum porro ſperat, ut hæmo-

moptoici illis sublevati imposterum sine noxa & damno vivant, non tantum à cordatis Medicis, sed & tyronibus pipulum non poterit non expectare. V. S. in hæmoptysi ægris nostris suasimus; Græbnerus autem sibi dictum putans illud: *Tu semper contrarius esto*, p 57. ita scribit: *Ego nulli hæmoptoico unquam V. S. persuasi*, sed in hoc, Græbnere, vehementer peccasti. Audi unicè Joann. Heurnium l. de morb. pect. c. 6. p. 125. longè alia docentem: *Vehemens*, inquit, *est hoc vitium*, *nam prædium Vitæ*, *sanguis*, *effunditur*, *quare & prompto & valido remedio hîc NB. opus est*; *tale est Venæ sectio*. Idem sexcenti alii testatissimæ fidei & eruditionis Medici inculcant. Loco omnium juvat adducere ea, quæ in Disputat. de hæmoptysi sub præsid. Conringii, infinitæ lectionis Viri §. 46. leguntur, hæc verò ita habent: *Ex chirurgico fonte primum occurrit V. S. remedium subitaneum*, *& plerisque ferè scopis satisfaciens. Nam non evacuat tantum in plethoricis*, *sed & sanguinem ad pulmones ruentem derivat aut revellit*, *æstumque ejus mitigat. Retulit mihi Ampliss. Dn. Præses se*, *cum ante annos 20. hæmoptysi laboraret*, *solâ hâc in pede instituta potissimum libertatum. Hæc igitur*, *quanto cyus poterit*, *celebretur in parte aliqua remotiori*, *sive in brachio*, *sive in pede*, *vel dextri vel sinistri lateris*; *habitâ tamen ratione ægri vel causarum*, *nunc plus*, *nunc minus dematur*, *modo unâ vice*, *quantum sufficere videbitur*, *modo partitis vicibus instituatur*, *ne æger nimium debilitetur*, *viresque dejiciantur. H. J.*

Cautela de Nitro in laxa alvo & ventriculo debili non exhibendo à Græbn. p. 57. addita quâvis paleâ levior est, imò prorsus futilis. Nam ut ex scriptis Celeb. Prof. Hallens. Hofmanni & Sthalii constat, ac experientia testatur, Nitrum in exigua quantitate sumptũ tantum abest, ut laxitatem alvi inducat, ut etiam efficaciter diarrhæas compescat. Nec ventriculo debili officere multorum anno-

rum experientia cognitum habuit, nisi memoria nos fallit, Baco de Verulamio.

Aliquanto jam diligentius in *Historia mali hypochondriaci* calumniæ & fraudes Græbneri retundendæ sunt. Impudenter is p. 57. criminatur nos ea, quæ de malo hypodriaco à nobis differuntur, ex disputatione Conringii transscripsisse. Auget hanc calumniam bipedum omnium impudentissimus in Plagio suo p. 72. scribere ausus: *Disputationem de morbo, sive malo hypochondriaco inauguralem sub præsidio Clar. Coringii habitam -- inseruere pene ad verbum.* At verò Disputatio illa paginas 70. complectitur, nostra verò historia mali hypochondriaci vix tribus paginis absolvitur. Jam tuam obtestamur fidem, benevole Lector, fieri ne potest, ut 70. paginæ tribus pagellis ejusdem formæ, pene ad verbum inserantur? Cum autem indissolubili nodo hîc constrictam Græbneri calumniam videas, una nobiscum projectam & liplis ipsis indignam convicíendi insaniam detestare & execrare. Sed (2) si etiam ad verbum pene inserta fuisset illa Disputatio, quod omninò non est factum, nec humanâ arte fieri potuit, quid indè vitii Historia nostra contraheret, modò largiaris, symptomatibus in historia enumeratis hypochondriacos Vratislavienses cruciatos fuisse, quod nec ipsa impudentia inficiari poterit. Essetne tantum piaculum, vitia Vratislaviensium moralia iisdem verbis describere, quibus quondam vitia Romanorum â Romanis expressa sunt, si iidem quod per DEI gratiam honeste non fieri credimus) Vratislaviæ grassarentur, qui olim Romanos inquinabant, mores? Non opinamur! Quî ergò tantum scelus esse poterit morbos Vratislavienses eorundemque symptomata illis delineare verbis, quibus morbi alibi viventium à viris doctis descripti sunt, modò morbi iidem cum iisdem symptomatibus etiam Vratislaviæ molestiam

cre-

creent. Ut autem tantò apertius effrons illa calumnia discutiatur, in editione secunda Historiæ Nostræ curabimus, ut in appendice tota Disputatio Conringii Lectori communicetur. Non tamen (3.) diffitemur, Conringii in recensendis symptomatibus mali hypochondriaci ἀκρίβειαν nobis præ aliorum laboribus placuisse, & nos Conringium tanquam Ducem esse secutos, intento utroque semper ad Vratislavienses hypochondriacos oculo. Et quoniam apud nos nova hypochondriacos symptomata non affligebant, verbis, quæ modestiam nostram decebant, historiam hanc exorsi sumus sequentibus: *Non paucos quoque malum hypochondriacum torquebat NB. NB. solitis* (non novis) *stipatum symptomatibus*, quæ non tantum apud Conringium, sed Sennertum, Sebizium, Geigerum aliosque occurrunt; si omnes sunt plagii rei, qui eadem morbi hypochondriaci symptomata recensent, Wedelius, Ortlobius, imò ipse Coringius ejusdem criminis reus erit, quia symptomata, quæ ab iis recensentur, in Sennerto, ut alios non nominemus leguntur. Ecce in re evidenti aliquot specimina:

Conringius Disput. §. XI. *Principio igitur Ventriculum in omnibus hypochondriacis maximè imbecillum esse plurimisq; cruditatibus scatere patet. Usque adeò certè id verum est, ut complures omnem mali labem ei primario referant acceptam.*

Sennertus l. 3. Med. Pract. 5. sect. I. c. 4. *principio in plerisque hypochondriacis ventriculus male se habet & multa circa eum apparent symptomata, adeò quidem ut nonnulli interdum hoc morbo affecti, saltem ventriculo sese male habere putent, eumque solum accusent.*

Wedelius de malo hypochondr. c. 5. ... *pro generationis subjecto venditabimus ventriculum à relaxatis fibris imbecillem plurimisque cruditatibus ferè suffocatum.*

Conring. §. 12. *Ructus genuina cruditatum soboles eam (sc. tardam ciborum concoctionem) satis produnt. Solent verò illis vehementer adeo infestari*, ut Sennert. l. 2. Instit. p. 13. &c. & §. 13. *acidis ructibus plerumque hypochondriacos infestari experientia testis est.*

Sennertus: *adsunt cruditas & ἀπεψία ventriculi --- ructus acidi.*

Wedelius l. c. §. 12. *Rutus quoque copiosos sæpè emittunt hypochondriaci ---- qui certe utpotè genuinæ cruditatum soboles imminutum ventriculi calorem satis apertè innuunt.*

Ortlob. de hydra in hypochondriis nidulante §. 3. *Ructibus modò nidorosis, modò insipidis, modò acidis -- infestantur.*

Conring. §. 14. *Salivatio quoque & tantum non continuus πτυελισμὸς ejusdem ventriculi imbecillitatis certissimus index.*

Sennertus l. c. *linguam ac os* (ventriculus) *salivâ & humiditate aqueâ copiosâ replet, ut continuò ægri salivam & pituitam expuere cogantur.*

Wedel. l. c. §. 3. *continuus quoque πτυελισμὸς sive crebra sputatio, principii affectus hypochondriaci comes reperitur inseparabilis, qui itidem certissimus ventriculi imbecillis index est.*

Ortlob. l. c. Os -- *viscida saliva obducitur. &c.*

Conring. §. 15. *Vehementi quoque ejusdem* (ventriculi) *dolore subinde laborant hypochondriaci. Et vero vehementes ventriculi dolores, qui nonnullis ad dorsum usque procedunt, inter signa hujus affectus pathognomonica jam numerat* Diocl. ap. Galen. l. c.

Sennertus l. c. *Ventriculi quoque dolores vehementes adsunt, qui nonnullis ad dorsum usque procedunt ---- ut Diocl. l. ap. Galen. alleg. habet.*

Wedelius l. c. §. 2. *cujus* (acoris) *participes quoque flatus sensum vellicationis ac tensionis -- cum dolore insigni exasperant.*

Ort-

Ortlob. l. c. *dolor in dorso inter scapulas adscendit.*

Conring. §.19. *Sed & vomitui valde sunt obnoxii hypochondriaci -- memorabilis, sane historia, Canonissæ -- quæ vomitu admirando & fere quotidiano ultra 30. annos perseverante laboravit, quam suis observ. Chir. cent. 4. observ. 32. inseruit Guilielm. Fabr. Hildanus* --- Sennertus l. c. *non tantum testatur hypochondriacos vomitui esse obnoxios, sed & eandem ex Hildano, quam adducit Conring. historiam recitat.*

Wedelius l. c. . §. 1. docet, *quod nausea & continuum vomendi desiderium, imò vomitus ipse, quæ affectum nostrum sæpe comitantur, indicant debilitatum ventriculum.*

Conringius §. 22. *Ingens flatuum prodit copia, quod quidem symptoma adeò huic affectui familiare est, ut nomen inde aliquando apud Græcos soleat mutuari, & φυσῶδες πάθος* (flatuosa affectio) *appellari.*

Sennertus l. c. *Flatus huic malo ita sunt familiares, ut jam olim etiam -- flatuosa hæc affectio sit appellata.*

Wedelius c. l. §. 5. *νόσος ἐρυγματώδης, seu morbus ructuosus dicitur, ob flatuum copiam, partim in Ventriculo, partim in intestinis ex vitiosa fermentatione generatorum &c.*

Res esset Lectoribus admodum tædiosa, si ita pergeremus.

Notavit in hypochondriacis Conringius borborygmos & rugitus, sed horum etiam mentionem fecit Sennertus, Wedelius, Ortlob, & omnes, quotquot de hoc malo unquam scripserunt, solicitè monuerunt, *quod mollia ventoso reboënt hypochondria flatu*, nisi quod in eo in divortium scindantur, quod aliqui lienem, *fluctuationum alveum, & antrum ventositatis inflativæ esse velint, alii spelæum in intestinis quærant.*

Conringius miram alvi adstrictionem hypochondriacis nimis familiare malum esse ait. Hanc notavit & Senner-

nertus. Wedelius verò his usus est verbis: *mirâ alvi pigritiá ac stypticitate vexantur ægri.* Ortlob verò ita loquitur: *alvum plerumque constipatam & diutius interdum suppressam queruntur.* Angustias, cordis palpitationes, vertigines, tumorem in liene, aurium tinnitum, pulsum in partibus, ubi ordinario non observatur, æstus vagos in hypochondriis &c. notavit Doctiss. Coringius. Nullius autem non symptomatis disertam mentionem facit Sennertus, ita scribens: *adsunt, cruditas & ἀπεψία ventriculi, flatus, rugitus, ructus, alvus est adstrictior, æstus est in hypochondriis, lien in quibusdam inflat & intumescit, animi anxietas, arteriarum in sinistro hypochondrio pulsatio, respiratio difficilis, cordis palpitatio ---- vertigo & oculis obversans caligo, aurium sonitus &c.* Nec temere ullius symptomatis vel Wedelius, vel Ortlob fuit oblitus. Urinarum varietatem in hypochondriacis persecutus est Conring. §. 50. nec tacito eas pede præteriit Sennertus, ex cujus verbis non pauca retinuit sine plagii crimine Conring. Et fermè eadem invenias in Wedelio & Ortlob. Imo magnâ cum fiduciâ asseveramus, nullum in eruditissima Magni Conringii dissertatione reperiri symptoma, cujus non fecerit mentionem Sennertus, & postConringium, alii qvi de hypochondriaco morbo commentati sunt. An vero propterea Conringium plagii accusabimus, an Wedelium, Ortlobium (idem dici potest de Ettmüllero ac aliis) tanquam plagiarios traducemus? Absit & procul facessat ista temeritas! Nos verò cum Conringio & aliis nominatis in eâdem nave esse, sole meridiano clarius est. Non sani illum esse syncipitis liberè fatebimur, qui ejusmodi anilibus ac frivolis plagii intentationibus motus, imposterum, ferente occasione & exigente ordine, ab enumeratione eorundem symptomatum, quæ Sennertus, Conringius, VVedelius, Ortlob & Historia

No.

Nostra adducunt, hoc colore abstinere vellet, ut ne ipse etiam in catalogum plagiariorum referatur. Auctores multi, quos Illustris Conringius in laudata sæpe disputatione allegat, jam ante, tum alibi, tum in *Moroni director:* diligenter citati sunt.

4. Sed ut animadversoris mendacium & fraudulentia clarissimæ exponatur luci, dimidiam historiæ nostræ mali hypochondriaci partem adscribamus, eique e latere Gr. Animadv. opponemus

A) Molimina hæmorrhagias comitantia hæmorrhoidumq; labores attenti Practici observationes effugere non possunt. Vivit adhuc ex ordine Augustinianorum Strelæ sacerdos. *B) hypochondriaco obnoxius*, cujus, quod fidem fere excedit, singulis diebus per plures annos hæmorrhoides adeo copiose fluunt, ut frequentibus lipothymiis etiamnum infestetur, macieque, cum medicamenta aversetur, *contabescat*. Olitor quoque aliquis cujus hæmorrhoides confertim sanguinem ejaculabantur ad D. Grassium confugit, & in Nitrosis & martialibus medelam invenit. Asthma verò hypochondriacum magis adstantes, quam medicos terret, his quippe ignotum esse nequit, quod motus thoracis & diaphragmatis respiratorius sanguinem in venis portæ, quem jure optimo hypochondriacum dixeris, comoveat, atque non sine evidenti utilitate ægrorum intendatur, hâc enim ratione sanguis in motu suo impeditus, ut ferè apud hypochondriacos est, iterum in circulum propellitur. Argumen-

Animadversiones Gr. ex Conr.

A) §. 28. Hæmorrhagiam quoque venarum podicis cum earum procidentia passus est aliud apud Claudin. Consil. 89.

B) §. ib. 28. apud. Francisc. Hildesheim. spic. 2. de Cap. Morb. p. 242. cuidam tam copiose fluxerunt hæmorrhoides, ut frequentibus lipothymiis infestaretur & macies totius corporis inde sequeretur.

 tum

tum hujus sententiæ non contemendum est, quod exantlato paroxysmi asthmatici labore, solito sint lætiores etiam ii, qui meticulositate insolitâ, quæ extra paroxysmum etiam aliàs ordinario adest, risum aliorum provocant, insignem, nisi per paroxysmum onere aliquo liberati essent, necessario percepturi ex motu hoc terroris pleno, languorem. Cujus rei duo vidit D. Helwich exempla, in sectatoribus instituti religiosi, qui cum nocturno tempore ex metu suffocationis ad captandum liberiorem aërem ex lecto exsiliissent, post aliquot horas anxiis illis evoluti laboribus, rarâ lætitia apud ignaros suspicionem simulati morbi vitare non potuerunt. *C.* Tàm *numerosa symptomatum cohors debellata à nobis variis modis fuit.* In eam *verò maxime curam incubuimus, D)* ut spissos attenuaremus humores, obstructionum Auctores, non una hîc etiam ingressi via *E)* Quidam *laudant nodulos* ex rad. ari, caryophyllat. helen. pimpin. hellebor. nigr. ex fol. & herb. absinth. agrimon. ceterah, chamædr. chamæpyt. Chelidon. min. marrub. alb. capill. ♀. fl. & summit. bellid. bugloss. genist. cent. min. sem. dauc. coriandr. nigell. & aromatibus temperatioribus. *F)* A nonnullis *Falium virtus laudatur.* Sunt etiam inter Nostros, qui multum tribuunt pilulis, quas ab Auctore Beche-

C) Huc pertinet §. 56. Tametsi vero enarrata hactenus symptomata ita se habeant, illud tamen probè debet notari non omnibus & singulis hypochondriacis æque esse communia. &c. D) §. 121. Cum verò ex superioribus constet materiã obstructiones hic facientem salinam & tartaream esse, adeoque partibus pertinaciter adhærere, commodum erit purgantibus digerentia vel præparantia præmittere. E) ib. §. 121: longè convenientius præparantia in forma liquidiori propinantur parantur que ex speciebus & aperientibus v. g. spec. aperitiv. maj & min. spec. pro decoct. splenet. rad. 5. aperient. rad. polypod. caryoph. &c, ex quibus nunc infusa & vina medicata quæ gratioris saporis causa âmul:

cherianas vocant; Palmam vero dubiam faciunt omnibus cautè adhibita salina urinosa volatilia. Myrrha quoque & crocus eximiè profuerunt. *Nec Mixtura G, quam Cl. quondam* Döringius Noster alicubi Mixturam Grasbecii vocat, planè indigna est elogio, quod meminimus ei à Tenzelio in Exegesi Chymiatrica tributum, in perfrequenti certè nobis usu fuit. *H*) Non horruimus quidem etiam ægris nostris propinare Elix. splenet. Mich. antihypochondr. Mœbii, aliorumq;, neq; tamen habemus, quod prolixè in laudem eorum scribere possimus. Quicquid verò egeris, curam vix ac ne vix citra usum subadstringentium feliciter absolves. Et hic quidem non est, cur Practicus alia, præ Tinctura Vitriol. ♂. tartaris. D. Ludov. nobis certè expertissima, solicitè desideret. Ultra omnem sanè ista laudem posita est, nec quantum scimus, ullum aliud par sibi habet medicamentum.

Ita vides, Lector optimè, quam maligna nobiscum fide egerit Adversarius. Textum Historiæ enim mutilavit, partesque ejus à reliquo corpore violente avulsas, in opprobrium nostrum cum truncatis Celeb. Conringii textibus commiscuit, ut, quod decocti pudoris homines facere solent, suis notis, cum ipse Threiciis compungi mere-

tu expeti solent, possunt concinnari. F) §. 123 Quæ specifica in hoc morbo esse creduntur, sunt chalybeata & ferrata, sive id faciant suâ adstrictione, quod vult Highmor. sive depilatione nunc non disputamus. G) Præter chalybeata sunt Elix. PP. Mixt. simplex seu de trib. Andem. H) §. 123. suppeditat verò chymia alia quoque ex ferr vel chalybe parata remedia non minoris in hoc morbo efficaciæ. Ita TR. suam St. & Magist. Chalyb. celebrat. H. à Mynsicht. Croc. Mart. ap. Rolf. Tart. Chalyb. sal. &c. & §. seq. Trint. Tart. Dorncr. Hydrom. ♀ris. Horst. TR. antihypochondr. Mylii. destillat: anthypochondr. Rcin: spir. acid. tartari &c.

re-

retur, insontes in suspicionem plagii adduceret. Ultimò Te Gr. convenimus tuamque conscientiam, annon & ipse hypochondriacis præscribas Vina Medicata, Martialia, m. P. Elix. splenet. M. &c. jam si requireretur à Te, ut curam mali hypochondriaci cum symptomatibus describeres, & typis vulgares, annon optimè his à Te medicamentis morbum fuisse oppugnatum scribere posses? Quid etiam annon fustuario dignum illum crederes, qui Tibi dicam plagii eapropter scriberet, eò quòd non tam Conringius, sed omnes Practici hæc medicamenta commendent? Quod Tibi autem liceret eo in casu, cur nobis hac vice per Te non licuit? Nimirum bile exundabas ac animo vindictæ pleno & tetro loliginis succo tabescente ad lectionem Te accinxeras, ac hinc infinita, ut in præfatione dicis *linguâ Creticâ*, erant, quæ obelo configeres. Libros similes esse pratis, aliunde notum est. Notum verò & illud, quod in eodem prato bos herbam, ciconia lacertam, avicula insectum quærat. Non igitur miramur, quod in edita nostra historia, alii morborum historiam, alii eorum curam &c. quæsiverint, & aliqua fortassis scopo suo inservientia invenerint, solus verò Animadversor fastidiosus, cum fortè ne intelligeret quidem, quæ quærenda essent, muscas venatus sit & captarit.

Ut autem cognoscat Adversarius candorem nostrum, fatemur ipsimet, Historiam morbi Hypochondriaci à nobis consignatam, non esse perfectam. Nam utut in multis legissemus Auctoribus, urinam in hypochondriacis aliquando è *siphunculis urinariis* largiter erumpere, tamen quia nondum nobis aliquis obvenerat, cum Historiam hanc adornaremus, qui in tanta copia redderet urinam, nihil quicquam de nimio urinæ profluvio dictum fuit. Ab illo autem tempore nonnemini inter nos oblatus est hy-

po-

pochondriacus, qui, quoties noctu sudore non diffluit, quod sæpe fit, altero die incredibilem urinæ quantitatem effundit, crederes, universam microcosmi lympham, ut cum Drelincourtio loquamur, *in unos corrivari mictuales ductus.* Inter egenos non paucos etiam post illud tempus tractavit D. Helvvich, in quorum hypochondrio sinistro tumores molles, & laxos, interdum autem duriores manu sua contrectavit, ac ex variorum relatione didicit, post *sumptum cibum*, animo lætitia exultante, vel ira fervente, *illos in majorem attolli molem, deprimi* autem *Ventriculo à cibis non distento*, nec minus subsidere, quando mœrore ac tristitia ægri afficiuntur. Sed satis de malo hypochondriaco.

Prognosticon Tackii, si res tanti est, ut quidem noster credit p. 64. à nobis in historia p. 40. indicatum, occurrit in *Chrysogonia animali & minerali*, verba ita habent: *Prognosticon, si senes tententur insolita scabie, raro fallit proximè secuturam mortem, quam & ipse observavi, & prædixi aliquoties eventu subsequente certissimo.*

Crambem de Historia apoplexiæ omissa p. 65. iterum recoquit, & cum nausea minus eleganter apponit, & p. 66. (ut ob nubilatum hominis judicium mireris,) iterum de lana caprina, i. e. de *nebulis* ac harum differentia cum nubibus strenuè digladiatur. At p. 67. iterum Veteranus ille se in analysi Grammatica esse tyronem ac levis armaturæ militem ostendit; dixeramus p. 44. Glissonium in boum jecoribus tempore brumali obstructiones deprehendisse, id quod in *Anatom. Hepatis* c. 24. reperiri ipsemet Græbnerus fatetur, & addideramus ipsimet nos *has obstructiones à lentore & viscidit ate sanguinis ortum duxisse*, cum verò, ut jam intimabimus, Grammaticam constructionem non intelligeret, verba nostra ita interpretatus est, quasi Glissonium introduceremus obstructionem hepatis à vi-

sciditate sanguinis deducentem. Sed forte validiores ejus sunt lacerti in agone Logico, quam in arena & pulvere Grammatico. Adeste certaminis spectatores! in eadem nimirum pag. 44. diximus, Vere apud nos eosdem esse grassatos propemodum morbos, qui ab Hippocrate sunt inter Vernales enumerati, & expresse nominavimus inter morbos illos etiam *dolores articulorum*. Jam nos aliqua de arthritide in mense Januario in medium attulimus, reliqua autem dicenda ad Decembrem (quem à nobis *Autumni finem dictum fuisse* mendaci ore affirmat:) studio distulimus, inde verò argutus noster syllogistes infert, minimè verno tempore articulorum dolores juxta Hippocratem apud nos fuisse grassatos. *Spectatum admissi risum teneatis Amici!* Unde verò fluit hæc conclusio! Quantum conjectura assequi licet, non aliunde, quam quod πραγματεία de doloribus articulorum à nobis inter morbos vernales fuerit omissa. At promiseramus p. 45. nos non omnes morbos, qui verè afflixerunt Vratislavienses, sed NB. *frequentiores* recensere velle, adeoque auram verberat, licet multum attollat brachia Græbnerus.

Debite p. 45. laudavimus Celeb. Stahlii diligentiam in explicanda hæmorrhagiarum differentia. Græbnerus vehemens nostri nominis obtrectator: *Viro Clar. illi, inquit, multa debent.* Nunquam hoc negavimus. sed addit: *à quo plurima -- suppresso insuper nomine mutuata & desumpta.* At hoc est spissum mendacium. Noster Animadversor in lectione scriptorum, Stahlii, ut & omnibus aliis, ubi ex indicibus sapere non licet, puer est, quod hic luculente patefecit. Nam de hæmorrhagiis Stahlius egit, non tam in *dissertat. de mot. tonico vitali*, ut putat Græb. quam in disputat. de *fundament. morborum ætatis*. Unde ergò nos plura â Stahlio fuisse mutuatos novit? Nisi sagacissimum

istud

istud Hermetis Trismegisti caput caninum sorptum esset *ore trifauci*, hoc à Græbnero consultum esse crederemus. Benè verò mendacibus notanda hodiè, quia apud paucos obtinet nota Juliani lex, quæ occurrit apud Liban. Tom. 2. p. 163. ac ita sonat: *Si quis eorum, qui mecum, conversantur, semel mentitus fuerit, feram, si denuo idem ausus fuerit, id quoq; patiar, quod si tertio convictus fuerit, quod vera non dicat, nondum incurrit in odium, verum si quartò voluerit imponere, prohibitus est contubernio.* p. 49. occurrunt hæc nostra verba: *Certè horum salium* (digestorum & alcalicorum) *tanta est efficacia, ut Doctiss. Conringius, qui alias Paracelsica minimè omnium sectatus est, sed ad discutiendas febres, jam a 40. annis ea laudasse &c. testetur.* Græbnerus autem p. 69. *hoc*, inquit, *effatum refutant ipsius Conringii* -- -- *NB. scripta præsertim ejusdem de hermet. Medic. l. 2. &c.* ubi iterum Græbnerus in latinitate parum versatus verba nostra non intellexit, sed in contrarium quasi sensum detorsit, & ita accepit, quasi Conringius Paracelsica esset admiratus, ac illis sæpius usus, cum expresse dicamus, Eum Paracelsica *minimè sectatum*, i. e. *remediis Paracelsicis* non debellasse morbos, & licet Paracelsica alia non adhibuerit, nihilominus ægris suis dedisse salia digestiva & lixiva. Ne dubii tantillum remaneat, ex apolog. Conring. c. Borrichium adscribere verba juvat, ibi vero ita Conringius: *ad febres discutiendas ipse ego, felicissimo successu, jam a 40. annis, salia ægrotis laudavi.* & iterum: *salia absinth. cent. min. card. bened. aliarumque stirpium, mille experimentis pridem mihi etiam innotuerunt, ut monitore Borrichio non egeam.* Ex his non ineptè colligere liceret Conringii libros duos *de Med. Hermet.* eò fortè, quod *in templo Apollinis collocati* sint, à Græbnero nunquam fuisse lectos, nedum intellectos.

Artem curandi morbos per expectationem nunquam inspe-

ſpectam à ſe eſſe Noſter Animadverſor p. 71. non obſcurè fatetur, dum ſola excerpta ex Act. Erud. ann. 1695. M. Aug. allegat, nihilominus auſus eſt ſcribere: *Attamen nonnulla quoque liber iſte continet, quæ minimè carpenda;* quaſi quisque mortalium aliud profeſſus eſſet, aut ſalvo pudore de libro nunquam lecto ingenuus aliquis vir judicium ferre poſſet! Rurſus p. 70. ignorare ſe non obſcure prodit, Apinusne, an Albinus, in febb. acutis *corticem Peruv. ægris exhibuerit*, licet in hac palæſtra velit eſſe. Quinquertio & Pancratiaſtes, hoc verò in lectione obſervationum indicibus deſtitutarum eum hoſpitem eſſe arguit.

P. 74. Græbnerus male nos accuſat, quod dixerimus juxta Fr. Redi experimentum, lumbricos *in ſucco citri, aurantiorum, brevi* perire. Nam certum, quòd illud ipſum Fr. Redi doceat, *non in experiment. circa generat. inſector.* p. 153. ſed in libro Florentiæ 1684. in 4to edito, qui inſcribitur: *Oſſervazioni d' in torno agli animali viventi, chi ſi trovano negli animali viventi*, in quo expreſsè docet, quòd *nec oleum, nec theriaca* lumbricis adeò exiſtant funeſta. Atque ita etiam in hâc animadverſione, cùm Græbnerus parturiret montes, exit ridiculus mus.

Prorſus autem p. 76. Animadverſor noſter ſe omnibus deridendum ſiſtit, ita ſcribens: *in frontiſpicio pollicebantur Hiſtoriam morborum graſſatorum ann. 1699. aſt hic hiſtoriam, ſeu potiùs doctrinam epilepſiæ generalem inſtituunt.* An ergò epilepſia anno 1699. Vratislaviæ non eſt graſſata? annon etiam his, quæ recenſuimus, ſymptomatibus fuit ſtipata? Quid ergò vitii hæc noſtra habet hiſtoria? Auctores, quos citavimus, faciunt unicè ad illuſtrationem epilepſiæ Vratislavienſes torquentis; nuſpiam verò, ut opinamur, à quoquam inter Doctores vetitum eſt, etiam aliunde petere ea, quæ declarationi uberiori materiæ, quæ ſub manibus

bus eſt, lucem præferre poſſunt. In limine Animadverſionum malè interpretabatur, quod non hiſtoriam daremus novorum morborum, forte *Dracunculi*, qui Arabum Æthiopumque tibiis moleſtus, aut mali illius, quod Americanis eſt familiare, *Ton dicitur*, aut *Gemurſæ* Romanis quondam notæ, vel *excreſcentiæ* Peruvianis familiaris, quam ipſe expertus Benzo deſcribit l. 3, part. 6. Americ. p. 50. aut luis Indicæ, quæ *Mia* à Braſilianis appellatur; nunc ſtomachatur, quòd non nova ſymptomata morborum adducamus, quòd idem eſt, ac ſi in deſcriptione pedum Vratislavienſium aliquis exigeret, ut oſtenderetur, Cives Vratislavienſes habere alterutrum pedem ſimilem pedibus incolarum *oppidi Divi Thomæ ad littus* Coromandel, quorum alteruter, teſte Lindſchotto *in Ind. Oriental.* craſſitie pedem elephantis æquat. Quoties ſcripta Græbnerianis ſimilia legimus, ſemper incidit memoria morbi Virginum Mileſiarum, *cujus remedium nullum poterat inveniri, vulgò fanaticam quandam contagionem ab aëre infuſam putabant, quæ eas in inſaniam abigeret, adeò, ut mortis cupidine tactæ ſeipſas ſtrangularent.* His ſimiles nobis videntur ejusmodi ſcriptores; ab aurâ quâdam ſuperbiæ inflantur, ac in inſaniam ſpontè ruunt famamque ſuam quam poterant tacendo conſervare, ſcribendo, non tàm vulnerant, quam peſſundant. Nec virginibus illis, nec his Auctorculis conſangvineorum lacrymæ, vel amicorum monita &c. in remedium cedunt. Virgines illæ à furoris immanitate prudenti revocabantur decreto, quod jubebat ejusmodi virginum, quæ ſibi mortem conſciviſſent, per medium *forum nuda cadavera efferri.* An verò ſpes ſit inſaniam ſcriptorum ejusmodi emendari poſſe, ſi cadaveroſa eorum ſcripta prorſus nuda, ac ſine velo, eruditorum oculis exponantur, aliorum eſto judicium. Nos ſanè dubita-

 bita-

bitamus, adeoque morbum scriptorculorum horum periculosiorem virginum illarum morbo esse, in confesso est. Sed pergamus cum Animadversore, qui ita pag. ead. scribit; *Hic* (i. e. in Historiâ epilepsiæ) *nihil animadversione dignum præter illud, ubi exemplum Roberti Sibaldi* (debebat verò scribere Sibbaldi, quod ei erratum facilè condonaremus, nisi ipse nobis aliquoties objecisset ejusmodi minutias) *in Scotiâ illustrat. p. 1. l. 2. c. 6. ibi pag. m. 56. pro pag. nobis scribunt, cùm tamen* (*faciemus illud breviter*) *in plurali loqvuntur.* O scelus animadversione dignum! Dejerare audemus, hominem communi carere sensu, quippe qui ignorat modum, quo scripta integri Collegii componuntur.

P. 80. criminatur, *potiora anginæ symptomata ex Aureliano fuisse descripta;* At tùm Aurelianus nobis non erat ad manus quidem, ac eadem symptomata etiam in omnibus aliis practicis reperiuntur. Quænam verò heic culpa commissa est, nisi ostendatur, quòd angina aliis illo tempore ordinariò Vratislaviæ stipata fuerit symptomatibus? quod in æternum à nullo fieri poterit.

Contradicendi libido adegit hominem, ut illa nostra quoque verba p. 73. *Herophilus, qui, teste Tertulliano sexcenta secuit cadavera,* allatraret. *Herophilum,* inquit, *Chalcedonium 700. humana subjecta, secuisse ait* Ettmüller. *Physiologiæ* c. 1. p. 2. §. 6. At verò solâ inspectione Tertulliani, qui ter, nisi fallimur, in *libro de animâ,* ejus mentionem facit: Controversia hæc componi potuisset, in cap. X. p. 481. Edit. Pamelii, ita sonant verba: *Herophilus ille Medicus aut lanius, qui sexcentos exsecuit, ut naturam scrutaretur, qui hominem odiit, ut nosset, nescio an omnia interna ejus liquidò explorarit, ipsâ morte mutante, quæ vixerant, & morte simplici.* Pervulgatæ autem res est notitiæ, quòd hæc Tertulliani locutio sit exponenda, vel per *hyperbolem,* vel per *Synechdochen,* qua *nume-*

rus aliquis definitus major indefinitum significat. Sæpissime apud Ciceron. aliosque Auctores Classicos occurrunt tales loquendi formulæ: *sexcenta talia possum proferre, sunt mihi sexcenti in hanc rem testes*, ubi sexcenta per multa & plurima explicari debent. Et, nisi fallimur, alicubi Galenus ait, *sexcenties se in animali à pastu secto* deprehendisse intestina suo complexu iis, quæ continerent, esse applicita. Et in isto Græcorum, εἷς ἐμοὶ μύριοι, i. e. *unus mihi instar millium*, μύριοι seu *mille illi non sunt tot numero, sed multi, sed plurimi, ut optime* alicubi Reinesius. Hanc explicationem roborat & hoc, quod multi quidem alii e. g. Plinius lib. 20. *histor. natural.* c. 2. lib. 25. c. 1. lib. 26. c. 2. & 3. & lib. 29. c. 1. Plutarch. l. 4. *de placitis Philosoph.* c. 22. & lib. 5. c. 2. Galen. &c. mentionem Herophyli faciant, & tamen de tot hominibus ab eo sectis nihil quicquam tradant, ut nihil quicquam referre videatur, an cum Galeno, Mercuriali &c. sexcentos, an cum Gagnæo & aliis 700. legas.

P. 88. Græbnerus crasse mentitur, scribens: Constitutionem aëris trium mensium Julii, Aug. Septembr. æstivam pronunciant, quod frivolum mendacium ex inspectione paginæ 75. ad oculum patet.

P. 89. & seqq. Græbnerus etiam invitus de nobis bene meretur, adscriptis ex Heinrici Meibomii, cujus summam eruditionem ac in medendo dexteritatem & peritiam semper suspeximus, textibus, qui Virum illum in opprimenda hemicrania iisdem nobiscum armis esse usum docent. Deum sancte testamur, a nobis non esse visam, vel inspectam Ejus *de Cephalalgia*, disputationem, nec in nostris excerptis quondam adornatis, ullam hujus disputationis fieri mentionem, ut inde proficere potuerimus, cum hemicraniæ non tam historiam quam exempla in chartam conjiceremus: Deducemus etiam,

 si il-

si illud requirit, Græbnerum ad ægros illos hodie adhuc superstites, ut discat, *ægrotos ipsos fuisse libros, ex quibus historia nostra adornata fuit;* Doctorum autem Virorum lucubrationes, quas utique semper magnifecimus, ad illustrandos morbos Vratislavienses, ac theoriam, ac therapeiam nostram conformandam, fuisse adhibitas. Cæteroquin, si Magni hujus Viri disput. *de hæmorrhoidibus* cum H. F. ab A. contulisset, aut nobilem illam dissertationem de ossibus cum alicujus de hac materia tractatu contulisset, optimus ille Vir eodem jure quo alii, i. e. iniquissimo, catalogum plagiariorum auxisset. Nam si stolido Græbneri judicio res hæc transigenda est, is statim plagii criminis est reus, qui eandem de re quadam cum alio fovet sententiam, aut casu quodam easdem loquendi formulas adhibet, etiamsi nullo argumento probare possit, quod alter alterius opera fuerit usus; Ecce luculentum asserti nostri exemplum. Ipse Græbn. p. 86. dubitat, an unquam Dolæus Schneideri dissertat. *de peripneumonia viderit: NB. forte*, inquit, *quoque vidit Joh. Dolæus*, at absq; ulla hæsitatione ait, quod ex Disp. Schneideri *multa in l. 2. Encyclop. Medic. c. 1. de pleuritide & peripneumonia transtulerit, in plagio Medico recensenda.* Sed hæc Græbneri petulantia ab aliis severius coercebitur, nec feret inultum, quod p. 90. scripserit: Officinam Hanckianam An. 1695. d. 18. Octobr. *captam.*

Imperitissime Animadversor p. 94. carpit, quod Euryanactis filiam (de qua Hippocrates 3. Epidem. sect. 2. Ægr. 6. ait, quod eam πῦρ corripuerit,) *febri ardenti* correptam fuisse putemus. At vero scire debebat, quod ab Hippocrate πῦρ seu *ignis dicatur*, non quævis febris, *sed vehementissima*, ut scripsit Galenus comm. 3. l. 1. Epidemic., *quasi non aliam habeat naturam, quam ignis & ejusdem cum igne sit substantiæ. Est enim duabus ignis qualitatibus prædita, calidita-*

te

te scilicet & siccitate, ut est in Joh. Gorræi *definit. Med.* p. 397. & Anutius Foësius in Oeconom. Hippocrat. multis ac selectissimis ex libr. Epidem. Hippocratis locis ac textibus aliis probat, quod πῦρ crebro *febrem vehementissimam* denotet; præterea etiam idem Foësius l. c. hæc Galeni adducit verba: *Scimus ab eo* (Hippocrate) *ignem dici febrem valde igneam. Pathologice* vocabulum ignis & Græcum πῦρ *febri* præsertim *ardenti* tribui ab Hippocrate Clar. D. P. Bruno in lexic. Medic. p. 709. m. recte notavit. Non urgebimus, quod creberrime Hippocrates de *erysipelate*, *febri puerperarum*, *pleuridite* aliisque morbis inflammatoriis Græcam istam vocem adhibeat; hoc tamen addimus, quod eodem nomine febrim quæ Ileum comitatur, designet. At juxta Hippocratem l. 3. *de morb. text. 15. Volvuli fiunt ab inflammatione.* Aretæus etiam l. 2. de caus. acutor. c. 6. Ileon expresse vocat φλεγμονὴν nec dissentit Galenus in 3. epidem. Deduceremus jam, quam pulchre, & accommodate febris ardens vocetur πῦρ, nisi copiosæ ex multitudine decumbentium obstarent occupationes: Diceres hic cum Horatio:

Hic visum vocat, hic auditum tristia, spretis
Omnibus officiis, cubat hic in colle Quirini,
Trans Tyberim longe cubat hic probe Cæsaris hortos
Ille extremo in Aventino, visendus uterque.

Euryanactis autem filiam morbo ardenti laborasse, ex delirio, dolore, & inflammatione faucium, phlegmone ani, aliisque circumstantiis, quas commemoravit, colligere licet. Gravi eam morbo fuisse oppressam Franciscus Vallesius *in comment. p. 248.* colligit ex *tanta taciturnitate, ut nihil loqueretur, & tristitia tam desperata, ut neque conquereretur, neque auxilium peteret, aut omnino velle videretur*, additque *morbum fuisse mali moris.*

In p. 93. & seqq. usque ad p. 97. H. N. non quicquam occurrit Animadversori in indicibus, unde dicacitati suæ frænum laxare potuisset, nec titivillitio digna sunt, quæ in Histor. Ophthalm. homo otio suo nimium abutens notat.

Nec hilo meliora sunt, quæ circa mensium perturbationem ab eo consarcinantur. In tractatu etiam D. Helwichii de dysenteria minutias unicè consectatur, ac sphalmata quædam typographica corrigit. Quod dum facit, animum suum versipellem, & veteratorium ubique clarissimè nudat; Sanè id sibi negotii dari credidit, ne ullum æquitatis alicujus vestigium in schedulis suis appareret. Tanquam grande nefas objectat p. 106. quod loco *populariter* legatur *populanter* & citetur Joh. Lamoniere à Conringio allegatus in disp. *de dysenteria*, quam D. Helvvich nunquam vidit, cum Lamoniere ultra 10. annos possideat. Cl. Sydenhamius tum p. 223. tum p. 234. diserte docet quod *dysenteria, si diutius excurrat, intestina seriatim omnia deorsum versus afficiat, donec tandem omnis vis in rectum decumbat, cum assidua desideudi cupiditate*, quæ, ut à nemine, & adeo nec à Sydenhamio negatur, semper ferè ani procidentiam habent conjunctam; hanc Viri hujus observationem D. Helvvich p. 110. scripsit non respondisse hactenus per omnia experientiæ, i. e. non fuisse observatum, quod intestina *secundum ordinem in diuturna dysenteria afficiantur, & tandem reliquis salvis unicè afficiatur intestinum rectum*. Græbnerus nec Sydenhamii nec Helwichii mentem assecutus, p. 104. utrumque malignè interpretatur, quasi Sydenham. ab Helvvichio fuisset reprehensus, *quod non semper adsit ani procidentia*, cujus tamen Sydenhamius nullam facit explicitè ut loquuntur, mentionem. Non, ut ex jamjam dictis illucescit, propterea de Sydenhamii observa-

tio-

tione dubitavit, cum ipſemet D. H. in immediatè antecedentibus diſertè faſſus ſit, cum teneſmo non rarò conjunctam eſſe ani procidentiam.

P. 110. in fine hæc ſunt Helvvichii verba: *Cura Celeb. Wedelii evaſit aliquis* (ſc. dyſentericus) *qui aliquoties ſanguinem per os excreverat.* Græbnerus p. 105. recitat verba Wedelii cum inepto NB. quod *aliquoties ſanguinem non ſolum κάτω, ſed etiam ἄνω excreverit*, tacitè reprehendens, quod ſolius vomitus ſanguinei, non verò dejectionis ſanguinolentæ per anum facta ab Helvvichio fuerit mentio. At de dyſenterico propriè dicto hoc loco agitur; hoc autem nomine hodiè nemo vocatur, qui non ſanguinem per anum excernit. Alias quidem neminem latet, quod in laxiori ſignificatione, *quemcunque inteſtinorum affectum & quamcunque eorum læſionem notet*; Si itaque de tali dyſenterico fuiſſet ſermo, qui *quocunque modo circa inteſtina eſſet læſus*, & ob ea infelix, omnino ſedium cruentarum non fuiſſet oblitus, cum autem de dyſenterico propriè dicto loquatur, qui propriè dicta laborat dyſenteria (de qua confer. Galen. l. 3. de cauſis ſymptomatum) ſine tavtologiæ vitio mentionem facere non poterat dejectionum ſanguinolentarum. Inteſtina dyſentericorum ulceribus & apoſtematibus ſubinde obſeſſa eſſe, *experientia & oculata Coberi noſtratis* fide p. 113. probavit Helvvich, nec habuit Græbnerus, quod hic opponeret, imò ipſe Dolæi verba ex lib. 3. Encyclop. Medic. c. 5. p. 429. adſcribit, quæ ita ſonant: *Sex cadavera dyſenterica à nobis ſecta probarunt æque tenuia ac craſſa purulentis ſcatuiſſe tuberculis &c.* Cum autem D. Helvvich adderet, minimè eſſe audiendum Holterhoffium, ſi hoc velit, *in dyſenteria nunquam eſſe ulcus inteſtinorum*, ut & judicii inopiam & fœdam contradicendi libidinem patefaceret, adſcribit verba Ettmülleri: *Rectè hoc, quod exulcera-*

tio

tio sit intestinis dysenteria affectis negat Holterhoff. Si recte hoc negat Holterhoff, etiam ex tua, Græbnere, opinione, cur Dolæi verba, quibus testatur, intestina dysentericorum tenuia ac crassa purulentis scatuisse tuberculis, in eadem pagina adscribenda erant?

Dic, ubi te inveniam, dic qua Te parte requiram!

Aut Ettmulleri aut Dolæi verba falsa sunt, adeoque alterutrius, minime verò utriusque chartæ erant illinenda multo minus probanda, ut factum ab Animadversore.

Optimo jure D. Helvvich p. 114. *ingenii lusum vocavit* inscriptionem, quæ de *morte Regis Polon. Michaelis adamantibus procurata*, ut quondam rumor fuit, circumfertur, hodieque adhuc in ea sententia est, nugari ac ludere inscriptionum Auctores. Nullum enim *ordinem, nullum tenorem in ratiocinationibus suis servant, eo prolabuntur, quo eos corruptæ imaginationis æstus, vel fucatæ rhetoricæ enthusiasmus protrudit. Faceta illis allusio probatio est, suavis verborum harmonia certum ac inconcussæ veritatis argumentum &c.* ut optimè Tom. 3. Obs. select. Hallens. obs. 5. inculcatur, & uberius satis eruditè explicatur. Potuisset itaque & intempestiva Græbnerus p. 107. abstinere censura, & nullam resp. litteraria fecisset jacturam, si etiam imposterum inscriptione, quam otiosus Græbnerus edidit, caruisset.

P. 115. pro *Hospiniano*, legendum esse *Cuspinianum*, agnoscit ipse D. Helvvich, nec aliter unquam scripsit. Quod verò Græbnerus aliis hic usus sit oculis, declarat, Albertum nominans Quintum, cum diserte D. H. sibi de Imperatoribus sermonem esse scribat. Albertus autem ille, de quo jam sermo est, utut sit Quintus *ejus nominis, Dux Austriæ* nihilominus *IIdus est h. n. Rex Romanorum*, sicut ex principio vitæ Alberrti IIdi apud Cuspinianum p. m. 603. ad oculum patet.

Dum

Dum Anatomicos in præſuppoſitis à D. H. allegatos enumerat, vel in legendo oſcitantiam vel in recenſendo malam fidem declarat Græb. p. 113. omittens Hartmann. Hoffmanni & Gliſſonium.

Purgantium acredinem ſenſu deprehendi dixit p. 119. D. H. & exemplis ab helleboro elaterio deſumptis illuſtrat, ac ingenue addit: *Huic aſſertioni probandæ Doctiſſ. Pechlini cap. 13. impendit in Exercit. de purgantibus;* Græbnerus, quaſi Helvvich ne apice quidem ullo Pechlini meminiſſet, aut aliquot paginas ex Pechlino transſcripſiſſet; *Hæc*, inquit, *& ſeqq. inveniuntur p. 144. 145. & 146.* Certe

Pulveris Erythræi
Siderumque micantium
Subducat numerum prius

aliquis, quam technas Græbnerianas enumeraverit.

P. 106. omnino D. H. ſecus quam Græbnero p. 114. videtur, phlegmaticorum mentionem fecit, etiamſi enim non κατὰ τὸ ῥητὸν vox ea ibidem occurrat, fit tamen mentio eorum, quorum corpus *pravis & glutinoſis refertum eſt humoribus;* & de *ſolis melancholicis* dicitur, quod rarius dyſenteria excrucientur.

P. 133. Græbnerus accuſat Helwichium, quod locum Hippocrat. ex lib. 2. Epidem. ſect. 2. textu non 42. ut malè Græbn. citat, ſed 49. malè explicet, *& ructum acidum in lienteria bonum eſſe judicet*, cum Hippocrates illum dicat eſſe χρηϛὸν h. e. utilem, jam *bonum* & *utile* ait, *maximè diverſa ſunt.* Miſereſcite Græbneri & Logici & Philoſophi i. Nos, ut brevitati ſtudeamus, hic tantum verba quædam ex Diſput. quadam Helwichii ante 13. annos, ab ipſo Regiomonti habita, adſcribimus, ita verò habent illa: *Quod utile eſt etiam bonum eſt. Quid? non deſunt, qui utile & bonum retrò commeare exiſtiment. Socrates ap. Platon. in Menon. p. m. 19. quærit: quin etiam virtute boni ſumus? M. Sumus.*

p. & si boni, utiles? NB. omnia quippe bona, utilia. Stoicis qvoque *bonum communiter est utilitas quædam. Propriè autem, NB. idem, & non diversum* (arrige aures Græbnere !) *ab utilitate* apud *Diogen. Laërtium l. 7. in Zenon. p. 186. Confer. Sext. Empiric. lib. x. adversus Mathematicos p. 244. & lib. 3. Pyrrhonic. hypothes. Clement. Alexandr. lib. 1. pædag. c. 8. S. Hieronym. in Jsaiæ c. 2. Marc. Antonin. Imperator.* passim, *Tacitum etiam lib. 4. historiæ &c.* hæc ibi Helvvichius. Accedit quod ipse Hippocrates l. 6. aphor. 1. expresse scribat, *ructum acidum, post longam intestinorum levitatem esse bonum*, non autem dubium, quin in utroque loco idem significare voluerit Hippocrates. Verbo etiam ipsius Vallesii in *comment.* p. 124. Hippocrat. in epidem. l. c. insinuat *ructum acidum esse bonum, ut signum & ut causam;* Et alii Interpretes eodem, quo D. H. citavit, modo textum explicant & citant.

An Demæneta fœmina fuerit, an mulier, quærit Græbnerus, quasi salus Silesiæ hac in re versaretur. Virum credidit fuisse D. Helvvich, Hermaphroditum autem facit Græbnerus: Nam dum initio p. 115. verba Hippocratis seqq. recitati *Demænetæ NB. lienterico ructus acidus contigit*, de Demæneta, tanquam viro, loquitur; at in immediatè subsequentibus sui oblitus, & malè, quantum apparet, textum 52. c. textu 49. conjungens, ex Demæneta facit mulierem, ergò ex Græbneri mente fuit ex Androgynorum numero.

Vomitoria in cura dysentericorum non simpliciter, ut Græbnerus inique interpretatur, D. H. abesse vult, ut ex p. 137. & seqq. patet. Nam ibi expresse hæc habet: *Circumspectæ & providæ curæ Practici est dispicere, an, cum materia ad superiora vergit, nausea ac amarities in ore adsint, quibus præsentibus aliàs vomitorium indicari scimus &c.* imò expresse addit, *imitandum esse Mercatum, qui, peccante materia salsa ab emetico non abhorret.*

P. 140.

P. 140. ex re & vero ſcripſit D. Helvvich. à Rivino in dyſenteria ſaccharum ♄ni commendari. Nam in praxi cap. 25. Auditoribus ſuis ſæpius in calamum dictata in æſtu dyſentericorum ſuadet ſeqq.

℞. Cryſtall. montan.
Terr. ſigillat. à gr. xv.
Sacchar. Saturn. gr. v.
M. F. pulv. D. pro doſi.

Facilè verò ex Rivini reſponſoriis literis ſubodorare licet, in quem ſenſum Græbnerus ad Virum illum ſcripſerit. Niſi in allotriis Rivinus occupatur, certum eſt, Græbnerum ſtrenuè fuiſſe mentitum, quod Rivinus ab Helvvichio tum propter uſum adſtringentium, tum ſacchari Saturni, fuerit vehementer exagitatus. Quam modeſte verò Helvvich & aliorum ſententiam & verecunde diſſenſum ſuum fuerit teſtatus, verba ejus p. 140. teſtabuntur, in quæ, ſi caſu quodam inciderit Rivinus, omninò cavebit à Græbnero, tanquam ab homine ſubdolo, & fœnum in cornu gerente. Quia verò tantopere de amicitia Rivini gloriatur Græbnerus, ex animo vovemus, ut tandem ex Doctiſſ. Viro expiſcetur, quidnam absqve fuco de *Medicina Veter. Reſtitut.* ſentiat? Vivunt hodiè Vratislaviæ, qui tum Auditores erant Rivini, cum Græbnerus verſus aliquos a Celeberr. Lipſienſ. Doctoribus in commendationem operis ſui multis precibus emendicaret, ac crebrò adhuc in memoriam ſibi cordatum, de centone ac Rhapſodia Græbneri, revocant Rivini judicium, quod noſtrum Animadverſorem ex illis intelligere cupimus. Smaragdi virtutem in dyſenteria commendat Grembs l. 3. c. 3. §. 109. qui ultimus numerus occaſionem errandi typographo, omiſſis prioribus illis, dedit.

Pilulæ de quibus D. Helvvich p. 147. ſermo eſt, à Dolæo in Encyclopæd. Med. comendantur lib. 3. c. 5.

Falsum est, quod in Encyclopæd. Dolæi jamjam citati l. 3. c. 5. p. 440. (ut Græbnerus p. 122. citat;) dicatur ex sententia Burrhi, *nullum esse præsentius remedium in dysenteria aqua rosarum, in qua aurum aliquoties fuit extinctum.* Ne apex quidem hac de re in illo loco occurrit, cum ibidem de singultu agatur.

Nec erat, cur Græbnerus de omissa tenesmi cura p. 123. aurem Helvvichio vellicaret. Is in eadem fuit & est adhuc hodiè sententia cum Sydenhamio in operibus p. 234. quod *pars affecta quidem corroboranda sit, sed hoc ea sola præstent, quæ corpori in genere vires adjicere apta nata sunt. Topicum enim, inquit, qualecunque id demum fuerit, parti dolenti applicatum, cum alienum quid sit, contactu molesto debilitatem magis adferet, quam robur subministrabit. Tolerandum itaque est ægro, donec diæta analeptica, & liquore aliquo cardiaco, qui palato arridet maximè, pro libitu ingesto, revocari possint vires, quibus redeuntibus pari passu, suaque sponte proripiet se hoc tenesmi symptoma.* H. J. Et cum eadem in *tenesmo*, quæ in *dysenteria evenire soleant*, & in hoc *tantum tenesmus à dysenteria* differat, quod *non eandem regionem seu partem afficiat*, ut optimè suo tempore jam inculcavit Doctiss. Joan. Guinther. Andernacus l. 1. comment. *de Medicina Veteri & Nova tum cognoscenda tum factitanda*, dialog. 8. p. 697. quæ efflagitabat necessitas, ut prolixa de tenesmi cura institueretur tractatio? p. 123. descriptionem constitutionis aëris ultimi trimestris (præterquam quod tempus illud autumnale à nobis vocari falso criminetur Animadversor) accusat ut obscuram & confusam; sed nos ei Auctores sumus, ut magis in Latinitate & Grammatica analysi sese exerceat, hoc facto, fidem nostram interponimus, forè, ut ei omnia clara & perspicua fiant, nec ullo Delio natatore, sed Grammatico tantum opus sit.

P. 127. Græbnerus suggillat & falsè subsannat desiderium nostrum, cujus summa est, ut docti Medici *Morbos, quos ipsi patiuntur, accuratè describant.* Non autem putabamus, fore, quenquam tam nugacem inter eruditos, qui illud ad morbos acutos, in quibus subinde ratio vacillat, extenderet; extendit autem, ut est homo nullius judicii, Græbnerus, quanquam alicubi & Schelhammerus, nisi fallimur, satis bene describat modum ac remedium, quo ex febri maligna feliciter eluctatus. In chronicis autem Galenum, Hoffmannum, Reinesium, Döringium, Bartholinum, Thomsonum, aliosque Magni Nominis Medicos, suas, quibus excruciati fuerunt, ægritudines descripsisse, notum est Viris, non ex indicibus solis, more Græbneriano sapientibus, sed in lectione Doctorum operum cum diligentia & judicio versatis. Unde à morsu & dentibus viperinis calumniatorum, auctoritate horum aliorumq; Virorum, nos putabamus fore satis tutos, qui etiam chronicorum morborum descriptionem, à Medicis exigebamus, sed nihil adeo innocenter dici potuit à nobis, quin calumniæ Græbneri pateret. Sicut autem in orbe voto non vivitur uno, ita ipse etiam Græbnerus aliis quam nos trahitur desideriis. Si autem tantus est, ut sibi videtur, admoveat operi manum & historiam morborum Vratislav. accuratè describat, suaque ipse expleat vota, præmium in medio positum est, plaudemus ei, si meruerit; *Fronte exile negotium, & dignum pueris putes, successu labor arduus, nec tractabile pondus.* Nos vicissim (sic vota votis redhostiemus) ex animo precamur, ut Græbnerus, etiam obrepente sensim senectute Grammaticam rectius discat; in sola enim p. 127. Vir hic alias miro cothurno incedens, turpiter impingit, scribens: *Cum verò leviores quidam morbi -- NB. Medicum obrepunt, hos --- Medicum NB. sibi curare posse NB. lubens fatemur.*

Sed pene exciderat Adverſarii noſtri de Kergeri commendatione vini in 4tana p. 126. Animadverſio. Nam, quod ea cura, quam deſcribit Barclajus, minime Kergero diſplicuerit, ſatis manifeſtavit (1) dum dicit, quod *elegantiſſimè* Barclajus deſcripſerit, & quidem *non citra omnem veritatem.* (2) quod ſibi hujusmodi *curas notas* eſſe fateatur; quibus verbis nemo non videt, id indicare Kergerum, curam 4tanæ per vinum benè ſuccedere. Et cæterum, quantum tribuerit Kergerus vino, ex p. 218. elucet. Si verò illud Græbnero non placet, recreet ſe, ac ægros ſuos, ſponſâ illâ, quam p. 183. deſcribit Kergerus. Ita videt, quam ingenui ſimus, & nullo nos palpo deliniri patiamur, etiamſi ab eo præclari vocemur Medici, dum p. 127. ſcribit, *Dn. D. A. M. E. Medicos adhibuiſſe præclaros*, inter hos autem fuerunt DD. Graſſius, Pauli, Preuſſius, & Helvvich.

Quæ tum ſæpè alias tum p. 128. de temperamentis occentat Græbnerus, inferius à nobis diſcutientur. Satis verò mirari non potuimus futilè in eadem pag. Græbneri judicium. D. Graſſius deſcribens morbum, quem incurrit, poſteaquam *vacillante pede in lectum pronus præcipitatus eſſet*, ait, Novilunium adeo ſibi fuiſſe infeſtum, ut in *platea ferè conſidere neceſſum habuerit*, & hac occaſione accommodatiſſimè narrat, quod uxor Sim. Pauli, ex lapſu itidem ægra, cum *ſurgeret*, de dolore *lumborum fuerit conqueſta*: at Græbn. *toto*, inquit, *cælo diſtans, erat enim gravida.* Juxta Græbnerum itaque uterus prægnans in cauſa eſt, ut dolor lumborum ex lapſu ortus in muliere, toto cælo diſtet à dolore lumborum in virò occaſione præcipitis caſus enato, quo ineptius aliquid dici ne à textore, aut alutario vel barbitonſore, poterat, niſi fortè credere velis, quod uterus partu gravidus, fœmininum genus ex genere hominum exturbet, & in novas transmutet formas. Ejusmodi autem

tem metamorphosin errantis phantasiæ Græbnerianæ opus esse omnes cordati, facilè intelligunt. At ecce ipse D. Grassius fatetur, sua fuisse fata alia, & alia iterum uxoris Sim. Paulli, quantum doloris genus & tempus attinet; at cum rhetoricæ ac Logicæ tyronibus constare autumaret, etiam *à dissimilibus peti illustrationem rerum*, non peccaturum se credidit, si exemplum doloris à suo aliquantulum discrepantis recitaret. Græbnerus autem graviter hallucinatus, dum dolorem lumborum Paullinæ uxoris putavit esse eundem, de quo gravidæ mediis gestationis mensibus conqueruntur; perpendat verba Pauli -- -- *accidit ---- ut laberetur attonita ---- à textore domum reversa, conquereretur de lumborum doloribus sacrique ossis ea parte, qua per synchondrosin id ossi innominato jungitur*, & serò tandem agnoscat, quam desultoriè in lectione textuum evolutorum versetur.

In historia febrium lentarum & hecticarum p. 162. diximus à Riverio commendari Electuarium de passulis, sed Græbn. p. 130. Riverius, inquit, l. 17. Prax. Med. c. 3. *meminit passularum mundatarum modum citra calefactionem præparandi* (debuisset autem scribere: meminit modi passulas mundatas præparandi &c. ut Grammatica docet) *nullibi electuarii*; quam parum in lectione Riverii Græbnerus versatus sit, ita benevole Lector vides. Qui Riverium cum cura evolverunt, norunt, & in cataplasmatibus, in potionibus, Electuariis ac Looh passulas fusè à Riverio adhibitas. Miser noster Animadversor in indice nullum invenit præsidium, atque hinc adeò turpiter se dedit. Risum autem cohibere non potuimus, quod operose p. 129. vitium typographico-orthographicum in voce phthisis per y scripta commissum corrigat, & nihilominus ipse tamen in hac sua reprehensione, ferula dignum committat

erro-

errorem scribens *ethymologia*, immemor sc. vulgaris illius,

Turpè est Doctori cum culpa redarguit ipsum.

Nobis tamen, si vellemus nostrum scribendi modum præfractè tueri, certè non deessent argumenta, quibus etiam hanc scribendi rationem probaremus. Sit ita, rectè deducant vocem φθίσις ἀπὸ τῦ φθίειν vel φθίνειν ab effectu. Quidnam autem impedit, quo minus etiam respiciamus ad causam conjunctam, quam Græci voce per υ scripta, ut pueris notum est, exprimunt.

Sudavit quidem Adversarius, tanquam ad pistrinum damnatus, in historia molæ, extundere verò nihil quicquam potuit stribliginis, quæ aciem oculorum viri ingenui obtunderet. At verò in Historia hydropis, quasi ex carcere liberatus, nimis lepidum se xingit. Ambigas sanè, an illum referas inter *cernuatores*, *& Ascoliastas*, qui *uno pede in utrem inflatum & inunctum*, ut lubricus esset, *insiliebant*, an inter Apinarios, de quibus Firmicus:

In lucem eduntur Bacchi Venerisque sequaces
Perque dapes mensasque super petulantia corda
Et sale mordaci dulces quærentia risus.

Sanè dum insilit, non sine spectantium risu & labitur & cadit; ac dum maledico & (verbis S. Hieronymi) *tabido ore sævit, & tincta facie, viperinis orbibus, dentibus pumicatis carpit*, se risui ac ludibrio exponit. Rem sine ambagibus efferamus, Grallator Noster eosdem, quos in *Histor. morb. hypochondr. ludos* exhibet. Nimirum, si hunc perfrictæ frontis hominem audias, in septem foliolis nostræ historiæ exhibemus *ad verbum* ea, quæ Vir summus H. Conring. in Disp. de *hydrope* in triginta ad minimum foliis suis exhibuit Lectoribus. Eo ipso autem admirabilem præstat se *acetabularium*, aut nescio quem præstigatorem, Si causam frivolæ accusationis quæras, nulla alia, nisi quod Conrin-

ringius, licet aliis plane verbis, alioque ordine, symptomata (quæ & in Sennerto & Mercato aliisque Practicis Conringio antiquioribus ad unum omnia reperire licet) recensuerit, quæ à nobis in hydropicis Vratislaviensibus sæpe observata ac, ordine historiæ ita exigente, in literas fuerunt relata. Non placebat vero nudè ac crudè hanc proponere historiam, sed consensu Auctorum nostra roborare asserta volupe fuit. Cum itaque Græbnerus videret aliquos, quamvis perpaucos, qui ipsi etiam à Morono ac infinitis aliis citantur, allegari, quorum nomina in Disp. Conringii conspexit, in eam irrupit vesaniam, ut in epistolari ad Virum Illustrem præfatione tantum non expressis verbis asserat, Auctores in historia hydropis à nobis citatos in Disp. Conringii fuisse laudatos; Nam numerum Auctorum à nobis, ferente ita proposito, in toto historiæ corpore subinde nominatorum iniens ait, in censum illum *venire non debere*, qui in historia hydropis à nobis citantur, quasi testimonia Auctorum omnia in hac historia ex Conringio sublegissemus. Ordine ergò decenti prodeant & Græbnerum mendacii putidissimi convincant. Primus sit Wedelius his verbis p. 170. laudatus: Celeber. Wedel. in exercit. semiotico-patholog. p. 138 facies inquit &c. (2.) Meibomius cujus p. 173. in principio facta mentio. (3.) Borrichius in eadem pag. in *cent.* 4. Epist. Medic. ep. 17. p. 76. (4.) Bonetus in *sepulchreto* l. 3. sect. 21 à p. 1033. (5.) *Listerus in exerc.* Medic. *de hydrop.* (6.) Alex. *Tassoni* Pensieri diversi l. 10. c. 26. (7.) Morhof. in *epist. ad Langelott.* (8.) Callisthenes. (9.) Sydenham. in lib. de *hydrop.* (10.) Thouvenotius (11.) D. Acoluthus. (12.) Mynsichtus (13.) Welschius. (14.) Bartholinus cent. 4. ep. 14. (15.) Mayerne (16.) Angelus Sala (17.) Illustris Boyle (18.) Volckammerus *dec. 1. Ephem. N. Ann. 9. in schol.* p. 65. (19.) D. Michael. (20)

K Va-

Valeriola l. 1. observ. 2. (21.) Ægidius Enth *in agone de hydrope* (22) Prosper Martianus *de ration. vict.* acut. p. 327. (23.) Sponius *in aphor. novis.* p. 367. (24.) Leonard; Botallus *in lib. de curat. per sanguin. mission.* c. 15. (25.) Willisius. (26) Blancard. cent. 1. obs. 19. Tot & forte alii plures in historia nostra citantur, quorum Conringius, quantum meminimus, in *disp. citata* nullam prorsus vel ullo apice, excepto Valeriola, cujus alia citat loca, fecit mentionem, imo ne facere quidem potuit, quia multi eorum post annum 1672. quo disputatio *de hydrope* à Conringio habita, aut inclaruerunt, aut scripta à nobis allegata publicæ luci exposuerunt. Erunt ergò, quamdiù candori ullum inter mortales pretium, nostræ innocentiæ, sicut vicissim maledicentiæ & mendaciorum Græbn. testes. Recolet etiam posteritas memoriam virulentæ detractionis Græbnerianæ, quando p. 174. in hac ipsa de hydrope materia adeò honorificam Conringii mentionem à nobis, ut par erat, factam leger.

Diximus p. 169. tumorem in hydropicis non unius generis esse, *interdum in uno tantum latere cerni, interdum in utroque,* & quidem ita, *ut venter quasi in duas partes divisus videatur, aut quasi duos sacculos appensos habeat;* at Græbnerus nostram in dubium vocat fidem p. 135. scribens, *num ipsi morborum conditores tale quid viderint; dubito.* Nemo non videt, à nobis hydropem saccatum his verbis describi; ille autem quamvis nomine haud ita notus sit, minimè adeò rarus affectus est, sed de eo egit Clar. Mercklinus in Miscel. N. C. Dec. 2. Ann. 1. obs. 183. & Illustris Noster Præses Schrœckius dec. 2. Ann. 8. obs. 233. estque hic Vratislaviæ inter pauperes non adeo infrequens. Et quis est, qui non quotidiè quasi in praxi observet, tumores in dimidia abdominis parte, quos etiam minimè hic excludimus, sive

ori-

oriantur *à collecto in duplicatura peritonæi*, hâc vel illa ejus parte, *ichore*, quâ de legendus in observ. chirurg. Jobus à Meeckren, sive *ab extravasatis humoribus inter peritonæum & panniculum carnosum stagnantibus*. Non pœnitebit hîc evolvisse Clar. Antonii Nuckii Adenographiam. Et ante aliquot annos Presbyterum ex ordine Dominicanorum ejusmodi hydrope laborantem D. Pauli & D. Helwich, curæ suæ habuerunt commissum, quem nullis prorsus remediis faucibus mortis eripere potuerunt. Quemadmodum, præter alios quosdam, consimilem imprimis Hydropem saccatum observavit & in Miscellan. N.C. Dec. 2. An. 7. obs. 141. pluribus olim descripsit D. Preussius; ut taceamus, quæ de propria quondam Conjuge idem notavit Dec. 3. An. 5. & 6. obs. 226. En verò Lector episodii loco elegantiam styli Græbneriani p. 149. *Transcribere hîc merentur verba Eugaleni, Severin. lib. de scorb. p. 60. &c.*

Tametsi autem Adversarius p. 154. dicat, Nos exemplum *palpitationum cordis à magnis cordibus*, ut loquitur, *excitatarum adduxisse*, ac se præterire velle, *quomodo hæc invicem concilianda, eò, quod cordis Magnitudo facilius circulationem promoveat*; nos tamen facere non possumus, quin hominem moneamus (1.) à nobis magnitudinem cordis neutiquam fuisse præcise, tanquam causam palpitationis, allegatam, quod ex nostro loquendi modo facilè patescit. (2.) Incertum esse, an *magnitudo cordis* facilius promoveat sanguinis circulationem. Nam, ut cor perpetua vicissitudine sanguinem recipiat & expellat, necesse est, ut & *contrahatur, atque parietes ejus undique ad se accedant*, quo ipso thalami illius, ejecto omni sanguine, evacuantur, & *dilatetur*, quo laxatione facta, Ventriculi cordis impleri queant; ad systolen verò & diastolem talem expeditiorem, omninò, cæteris paribus, cor minoris magnitudinis videtur apti-

 us,

us, præ nimis vasto. Si Græbnerus unquam Lowerum *de corde*, Bellinum *de motu cordis intra & extra uterum*, præprimis autem Joh. Alphonsi Borell. *part. alter. de mot. animal.* legisset, & intellexisset, vix judicium suum crudum interposuisset. Penes alios autem sit arbitrium, an admisso hoc, quod *in corde magno non ita promptè fiat constrictio ventriculorum & expressio sanguinis in iis contenti*, non etiam probabiliter colligi queat, cor propter sanguinem non plenè ex ventriculis excussum, palpitare, ut ita crebriori motu, tanquam prelo, exprimatur non ita promptè effluens ex thalamis sanguis, quod cum fit, in systole mucro ejus fertur ad contactum pectoris, illudque pro gradu violentiæ magis percutit, quo magis mucro flectitur & incurvatur.

In historia febris catarrhalis p. 190. diximus, à Cl. Ettmüllero cum successu adhibitum pulverem ex succin. pert. specif. Cephal. bezoard. solar. & duobus granis laud. opiat. sed noster Adversarius p. 154. & seqq. ita scribit: Ettmüllerus sup. laudat. --- *in catarrho illo epidemico grassante anno 1669. media æstate mixturam quidem dictam ibi habet: sed pulverem profuisse ibidem, neque in Colleg. Consult. Cas. 7. de catarrho epidem. invenire hucusque potui.* Si Græbnerus editionem Oper. Ettmüller. Francofurt. anni 1688. consuluit, nec tamen à nobis citata invenire potuit, eum vel lumine captum utroq; fuisse, vel inusitata quadam formæ elegantia fascinatum fuisse ac oculorum usu caruisse necesse est.

Admodum indignatur, quod tum alios Auctores sæpè, cum Cardanum citemus, nec tamen distinctè libros, capita & paginas allegemus; tantarum verò irarum causa est, non, quam homo lepidus fingit, sed alia quædam, sc. hæc, quod eo ipso præcisa fuerit ei ansa, textus ex citatis à nobis Auctoribus describendi, quod multò parcius factum à Græbnero fuisset, nisi ipsimet nos facem (citatis

ple-

plerumque Auctoribus) prætulissemus in iis præsertim scriptoribus, qui destituuntur indicibus.

Æquissimam verò irascendi causam nobis præbet Animadversor noster insulsus p. 153. scribens: *apud Veteres Medicos -- hoc nomen Nephritis NB. communis fuit omnibus ferè renum affectibus.* Adeò ne primam quidem syntaxeos regulam: Adjectivum & substantivum eodem genere &c. didicit Græbnerus.

Quid ab hoc homine, Lector, Tibi in Medicina pollicearis? Mordet verò nos, in nephritidis historia, quod non, ubi alicujus medicamenti quod à Pechlino (cujus Viri admodum honorificam in hac materia mentionem fecimus,) commemoratur, etiam à nobis, ordine historiæ exigente, describenda erat efficacia, non illicò iterum atque iterum Pechlinum nominaverimus. In hoc enim puncto & axe Græbnerianæ criminationis rota volvitur. Putamus autem, quod talis stultitia nemini, præter Græbnerum, unquam in mentem venerit; sed hominem suæ insanienti sapientiæ relinquamus, ne Lectori fastidio simus, nec nos in historia podagræ detinebimus, in qua etiam non habuit, quod arroderet; sed ad ea festinabimus, quæ de temperamentis Silesiorum p. 201. & seqq. breviter fuerunt tradita. Diximus verò cum Curæo, Silesiorum temperamentum inter *sanguineum & Melancholicum ambigere*, seu esse medium, quæ, ne calumniæ paterent, disertissimis verbis addimus: *Planè verò nullos esse Silesios in censu vel sanguineorum, vel cholericorum, vel phlegmaticorum, vel melancholicorum, nec nos profitemur, nec affirmat Curæus* & p. 203. claris expressimus verbis, quod non negemus, *quod aliqui Silesii, alterius sint temperamenti;* Sed hæc omnia nos adversus venenatos Græbneri dentes minimè tutos præstare potuerunt. Nam initio p. 161. objicit, quod ipsimet

faſſi fuerimus, D. Graſſii temperamentum eſſe ſanguineo-cholericum, D. Preuſſii verò cholerico-melancholicũ, quod expreſſe etiam ſanguineo-cholericorum & Melancholico-phlegmaticorum, cholericorum & phlegmaticorum &c. in hiſtoria noſtra fiat mentio. Reſpondemus ita ſanè ſe rem habere, ſed ubi unquam profeſſi vel verbulo ſumus, quod nullus planè Sileſius ſit ſanguineo-cholericus, phlegmaticus &c. imò annon expreſſis verbis contrarium ipſimet aſſeruimus? Enimverò, ut quam pueriliter hic labatur Græbn. pateat, tribus recolere liceat, jam à probatiſſimis ſcriptoribus à multis abhinc ſeculis, etiam integris nationibus fuiſſe certos tributos mores. Iſidoro Afri ſunt *aſtuti ac fraudulenti*, Græci *leves*, Itali *feroces & acris ingenii.* Juxta Vitruvium *ſeptentrionales mente ſtupent*, & ſanè *meticuloſi in febribus.* Ariſtoteles in communi dicit, *Europæos abundare animo, at parum ingenio valere & artibus.* Maternus ſcribit, Gallos eſſe *amentes & inconſideratos*, ut jam nihil dicamus de moribus nationum noſtri temporis, qui à Barclajo in *icone animorum*, Scipione Claramontio, aliisque deſcribuntur. Tarpeſia autem caute magis rigidus & ſtupidus ſit neceſſe eſt, qui ſingulares aliquos homines, aliorum plane morum, ex nationibus ſingulis Auctorum deſcriptioni generali opponere, ac ſcriptores illos maledico ore inſectari vellet. Notum præterea eſt, quod optimi aliqui ſcriptores etiam mores *ætatum, fortunarum &c.* adumbrent, ſicut præclarè factum ab Ariſtotele lib. 2. Rhetor. c. 12. 13. 14. & ſeqq. & niſi fallimur etiam ab Horatio in epiſt. *ad Piſones*, in qua verſu 156. futuro poëtæ præcipit: *ætatis cujusque notandi ſunt tibi mores*, & Ariſtotelicis convenientia, niſi quod magnam partem ſint conciſiora, tradit.

Præ gaudio, quod occaſio carpendi ei ſubnaſceretur, credimus, etiam choreas duceret & exiliret Græbnerus,

ſi in

si in nostra historia legisset, quæ apud Aristotelem lib. 2. Rhetoric. c. 13. leguntur; *Senes nihil quicquam pro certo confirmant -- malitiosi sunt, malitia enim est, de omnibus in deteriorem partem suspicari - suspiciosi -- neq; valde amant, neq; valde oderunt -- parvianimi -- illiberales &c.* imò si de nobilibus ea commemorassemus, quæ lib. citat. c. 15. habet Aristoteles, orcum ipsum in nos commoveret. Quod autem de moribus nationum, ætatum, fortunarum &c. dictum est, rectè quoque de temperamentis asseritur, quæ & ipsa gentibus in genere assignari consueverunt, eò quod plures in illa natione his vel illis temperamentis sint præditi. Scilicet merito exsibilandi sunt, qui ob ejusmodi effata iniqua alios censura premere gestiunt. In Disciplinis etiam aliis occurrunt propositiones nullæ, quæ non sunt κατὰ παντὸς. Inculcat hoc egregiè Doctissimus Philosophus pariter & Medicus Philippus Scherbius in dissertat. pro *philosoph. Peripatet.* in *Philosoph. Altorffin.* p. 11. *Audi*, inquit, *si placet Galenum, qui de ratione victus morb. acut.* omnis doctrina, inquit, *ex universalibus recipit incrementum, quæ, si perpetua fuerint, primam habent utilitatem, si verò magnâ ex parte, secundam &c. Audi Aristotel. 6. Metaph. omnis scientia autem est ejus, quod est semper, aut utplurimum. Intuere exempla, nascitur homo, ut docent physici, decimo mense lunari aut nono Græcorum. At non est hoc verum* κατὰ παντὸς. *Condemnanda igitur propositio? Docent iidem, octimestrem fœtum non esse vitalem: Æstatem esse calidam & siccam, hyemem frigidam & humidam: Hominem esse animal 5. digitorum: Admirabiles Oceani ἀναχωρήσεις 24. horis bis fieri: at Euripus in Eubœa 12. horum spatio septies fluit & refluit, & talia quidem ὅσα κόνις. Intuere etiam physiognomica apud Hippocratem: quicunque ruffi, naso acuto, oculis parvis, mali. Quicunque ruffi simi, oculis magnis, boni, item oculi non nictitantes, iracundi. Intuere politicas*

senes

jenes sunt avari: juvenes se putant omnia scire -- -- *depositum est reddendum: pupillus sine consensu tutoris non obligatur. quid? signa Medicorum illa, quæ ab eis dicuntur familiaria, itemque ea, quæ sunt propria quidem, sed non inseparabilia, tollesne ex arte? Tu vero non tolles, si sapis* -- -- *denique omnes propè aphorismos tibi objicio. Quos si Tu propter tuum κατὰ παντὸς velles Medicis è manibus extorquere, næ illi Te non ut Scabiosum tractarent, quomodo ego, sed ut furiosum vinculis & compedibus constringi juberent.* Hæc Scherbius, ex quibus, si non didicerit Adversarius, in scientiis multis ferri oportere propositiones, quæ non habent, ut dicunt Græci ἅπαντα ὅγδω, propter ἀπαιδευσίαν ab aditu disciplinarum meretur arceri in æternum, ac si impostorum aliquam propter ejusmodi propositiones generales infestaverit, indignus est, cui vel verbo respondeatur. Sufficit nobis, quod major pars Silesiorum illo temperamento, quod iis tribuimus, gaudeat. Sano enim sensu etiam hîc obtinebit illud, quod Juris Naturalis Doctoribus crebro in ore est: *pars major jus habet integri*, sive, ut cum Thucydide loquamur: *Tam in Comitiis, quam in judiciis, vincit pars major. Unde etiam apud Curtium* lib. X. legas: *Eo, quod pars major decreverit, stetur.*

(2) Causatur, quod Silesiorum temperamenta cum exterorum constitutionibus confuderimus, & quæ Conringius de malo hypochondriaco & Ascite protulerit, nostris complexionibus attemperaverimus. Quam crassæ autem hæ sint petitiones ejus, quod *in principio quæsitum*, ex antecedentibus elucescit.

Præterea in enormi versatur errore Græbnerus dum (1.) existimat, quod aliis symptomatibus stipetur hic vel ille morbus v. g. hydrops, malum hypochondriacum, in Helmstadiensi Ascitico & hypochondriaco, aliis in Vratislaviensi, aliis in phlegmatico, aliis in sanguineo. Tam

Helm-

Helmstadiensis, quam Vratislaviensis Ascriticus cujuscunque fuerit complexionis, tumore pedum, abdominis &c. corripitur, difficultate respirationis premitur, siti affligitur, urinam in exigua quantitate reddit &c. Et sanè si aliter prorsus comparatum esset cum hydrope in Græcia, quam in Italia, & in Italia aliter, quam in Anglia, & in hac rursus aliter, quam in Gallia & Germania, & tandem aliter in una parte Germaniæ, quam in alia, & ita res sese haberet etiam in aliis morbis, æternum vale & Hippocrati & Galeno, ac aliis Auctoribus omnibus extra Patriam Nostram, morborum naturam explicantibus dicere liceret, pessimeque ageretur cum Juventute Silesiaca, quæ in alias peregrinatur provincias, ut exactam morborum cognitionem sibi comparet. Sed nemo hactenus ita præter Græbnerum deliravit, imò ipse semetipsum probrose redarguit, non tam in rudi illo & elumbi *Specimine Medic. Pract. Veter. Restitut.* sed & in *Animadversionibus*, quibus plerumque nihil aliud agitur, quam ut verba Auctorum exterorum, quæ aliquibus nostris textibus respondent, transcribantur. Id verum est, quod morborum symptomata, ratione intensionis &c. pro diversitate temperamentorum, aliquo modo varient, at hinc inferendum neutiquam est, quod aliis planè symptomatibus eodem morbo laborantes phlegmatici, sanguinei, cholerici &c. tententur. In febri maligna, ut exemplo declaremus rem, delirant homines, cujuscunq; fuerint complexionis, sed paulò aliter comparata sunt deliria sanguineorũ, quæ cum aliqua hilaritate, libertate, & jocis conjuncta esse sueverunt, aliter verò deliria phlegmaticorum, quæ stupida & obliviosa esse solent aliter autẽ habent deliria Melancholicorũ quæ timida & taciturna plerumq; esse novimus; aliter vacillat mens cholericorũ qui dum delirant, violentias minitantur ac non pro-

 cul

culà furore sunt. Ita verò etiam res habet in aliis morbis.

Quam confusi homo judicii sit Græbnerus p. 159. patefacit, dum Nos de temperamentis p. 201. & seqq. confuse tractasse asserit, nimirum nulla alia de causa, nisi quod non more in scholis alicubi recepto, de Etymologia, homonymia, aut definitione &c. egerimus, qui modus tractandi de temperamentis scholasticus, Historiæ nostræ minime conveniebat. Alias ita plana sunt omnia, ut affirmare audeamus, vix clarioribus verbis intricatam hanc doctrinam proponi potuisse. Nec erat, cur nos ad Auctores aliquos, qui de temperamentis disputarunt, remitteret, multo plures nobis cogniti, & non pauci etiam nominati à Mercklino sunt in cynosur. Med. p. 142.

Prorsus autem anile est refugium Græbneri, quod quærit in loco Waldschmidii l. 1. Instit. Med. c. 6. *de temperamentis*, quo nostra petit verba p. 203. *jucundum non rarò præbuit spectaculum &c.* nam verba illa Waldschmidii illos feriunt, qui credunt, sanguinem *per V. S. extractum in 4. humores præcipitari*; at hac de re, ne per somnium quidem in Historia Nostra p. 203. cogitavimus, sed indicavimus tantum, sanguinem, more Malpighiano, aquâ calidâ lotum, offerre oculis microscopio armatis fibrosam, deturbatis rubicundis partibus, texturam &c. Enimverò Græbnero nihil novum est miscere quadrata rotundis, ac in aquis quærere lepores. Vehementer autem miramur, locum illum Waldschmidii, quo tota Galenicæ Medicinæ structura subvertitur, à Græbnero, qui Medicinæ Galenicæ Stator esse cupit, allegari; sed homo nullius prorsus judicii nihil quicquam pensi habet, modo (etiamsi longissimè petita occasione) detur ansa, famam nostram lacerandi. Id quod hic lucu-

lucutento probavit exemplo. Prorſus non facimus cum Viro alioquin doctiſſimo Antonio Billichio, qui quatuor humores in ſanguine extra vaſa miſſo oculis reſpiciendos exhibere voluit. Iſte enim in ſummitate purpuraſcente ſanguinem, in limbis flavioribus & tenuioribus bilem, in parte aquea ad albedinem inclinante, pituitam ſero permixtam in fundo fæculentiam Melancholicam reperiri ſtatuit; ſed contra cum Clariſſ. Lowero, aliisque Celeberr. Doctoribus fecimus ac in ſanguine ſano nihil, præter hæc tria; *nempe ſanguinis florem, craſſamentum purpureum, & ſerum reperiri* perſuaſi ſumus, & hoc tantum ex Malpighio addimus, iſtud craſſamentum purpureum ita ablui poſſe, ut textura alba appareat. Quæ, cum ita ſint, judicent cordati, annon anili, ut ante diximus, judicio, Waldſchmidii locus contra nos adducatur.

Niſi Græbnerum hîc Vratislaviæ natum & educatum ſciremus, ex Animadverſionibus ejus in diſcurſum noſtrum de aëre, eum ſub Bæotica aura lucem aſpexiſſe &c. perſuaderi poſſemus. Adumbravimus aëris conſtitutionem per totum annum in communi. Græbnerus verò p. 163. *rarò*, inquit, *ita ſe habet*; prout nimirum à nobis deſcribitur. In Septembri autem ita ſe habere ipſe innuit. Aſperius in Decembri frigus ſævire inductione Ann. 1692. 1694. 1695. 1699. 1700. & 1701. ipſe probat. Nec habuit, quod de Januario & Februario nobis objiceret, niſi, quod biennio poſt, id eſt Ann. 1702. nullam fuiſſe hyemalem tempeſtatem hiſce menſibus, addat. Mitiorem eſſe apud nos in Martio & Aprili aërem, negare neutiquam poteſt, ſed iterum provocat ad antememoratum proximè præterlapſum annum, ſeculi hujus ſecundum. De Majo ipſimet diximus, quod anno 1699. nebulis, pluvi-

is, & ventis fuerit rigidus. Quod Junio, Julio, Augusto æstus quidem nos infestet, sed ille tamen continuus non sit, iterum non obscurè igse agnoscit Græbnerus, adeoque constitutionem aeris ita, quomodo nos descripsimus, sese habere, fateri cogitur, quo ipso crasse sibi contradicit. Ne verò temeraria videatur cuiquam illa nostra determinatio constitutionis aëris in Silesia per quatuor anni quadrantes, perpendi cupimus, etiam à probatissimis Auctoribus idem esse factum; hic unicè ad Galen. l. 1, de temperam. c. 4, provocamus.

Unico etiam spiritu quasi difflari possunt murmura incondita Græbneri contra pauca quædam ex discursu nostro de ventis Silesiacis capita. Austrum in Silesia calidum & humidum esse diximus; Adversarius noster, qui stultissimè p. 166. & seqq. nos carpit, quod Austri noxios effectus verbis Liberti Fromondi expresserimus, oppositum ex Galeno, Valleriola, & Verulamii historia ventorum p. 163. persuadere sategit. At vel rustici hanc ejus assertionem facilè falsi convicerint; Etsi, quando Serenitas Austro spirante in Silesia observatur, etiam atque etiam videndum, annon alii venti cum Austro sint conjuncti. Regulæ & cynosuræ loco habenda est illa Hieronymi Cardani in libr. Hippocrat. *de aëre, aquis & locis* observatio lect. 5. p. 10. *Tertiò advertendum est, quod rarò ventus est simplex, sed vel est copulatus cum alio vel mistus, propter sinus & obliquitates vallium, per quas transit, & cacumina montium &c.* quæ cum à Græbnero in Observ. meteorolog. observata non sint, mirum non est, quod tam fœdi errores in illas irrepserint. Alias quod Auster humidus sit, magno consensu Auctores docent. Pulchrè Joan. Jovian. Pontanus in lib. de meteor. p. 35. canit:

sed

sed turbidus Auster
Ipse agit undantes Nimborum in prælia turmas,
Dux ipsus pluviarum & longè maximus auctor,
Eductos namque immensum regione per usta,
Densorum fluctus longinqua ab sede vaporum
Involvit raptatque agitans, qui deinde soluti
Fundunt præcipites abruptis nubibus imbres
Diluvioque una absorbent pecudesque virosque,
Tantum Auster discussa furens per nubila sævit.

Et cum Joann. Garcæus in meteorolog. p. 236. quæsivisset, *quæ natura Ventorum Australium?* respondet: *hi sunt calidi & humidi, sanguinei, & aëris naturam induunt, qui aliis omnibus sunt insalubriores. Nam humiditatum & putredinis sunt Auctores & fautores.* Danæus etiam in *phys. Christian. tract.* 2. c. 33. expressis inculcat verbis, quod *Venti Australes calidi sint & humidi, sive pluviosi. Itaque cum flant, omnia madent, etiam vestes ipsæ & parietes & lintea, ut est Jobi 37. v. 17. Cujus rei causa est, quod illi venti accumulent nubes, quos è longinquis partibus & regionibus, ad nos detrudunt.* Præprimis autem notatum dignissima sunt verba Honorati Fabri in tract. 6. l. 4. de mixt. imperfect. aeriis prop. 41. *Ventus, inquit, Australis in Europa calidus est, quia sc. ex Zonâ torridâ multas exhalationes & particulas ignis advehit, quæ nostro aëri admixtæ multam caliditatem conciliant.* Cum quibus, ut obiter hoc moneamus, pulchrè conveniunt, quæ in Geograph. General. l. 1. c. 20. prop. 16. habet doctissimus Medicus Bernhard. Varenius.

(2) *Humidus est, quando à mari flat, ut ferè in tota Europa, quia multus vapor ex mari eductus halitui admiscetur &c.* Cum his doctis Viris sexcenti alii concordant, ut cuivis in lectione Auctorum versato constat. Majori certo jure de

caliditate Austri dubitari potest. Nam, ut Isaaci Vossii verbis ex lib. de *Motu marium & ventorum* c. 26. p. 101. utamur *sæpius observatum est, flumina gelu adstringi flatibus Austris, quam Borea marino. Quod si quis thermoscopio exploret, uter apud nos Ventus hyeme frigidior sit Euronotus, an vero Zephyro-Boreas, utique priorem frigidiorem inveniret.* Quamvis & illa difficultas facile tolli possit, nam ut ipse Vossius monet, hæc tantum intelligi debent *de locis mari vicinis &c.*

Ventos Aquilonares & occidentales non simpliciter vocavimus plumbeos, sed eos tales fuisse in Majo Ann. 99. præteriti seculi professi sumus. At verò, ut norunt Logicorum filii, à *dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, non valet consequentia.* Rem à nautis explorare licet. Illis hoc tempore ventus potest esse plumbeus, quia cursum navium moratur, & corporibus ipsorum infestus est, qui alio tempore ipsis est aureus. Et quid impediat, quo minus Boream, propter vim condensandi poros corporis & adstringendi alvum &c. Aliquis dicat plumbeum? Occidentalium ventorum damna in vulgus usque notata sunt.

Illam in circulum redeuntem ventorum vicissitudinem, quam Mariotte adstruxit p. 205. non vanam esse diximus, immodica autem carpendi prurigine vexatus Adversarius etiam hîc dicam nobis scribit, quibus tamen satis est ejus confessio p. 165. *quod aliquando observetur ille circulus,* quo sc. occidentalem sequitur septentrionalis, hunc excipit orientalis aliquanto obscurius, ita, ut post Austrum vices redeant ad occidentalem: nihilominus tamen & nos lubenter fatemur, quod sæpe *occurrant particulares causæ, quæ faciunt, ut venti cum anomalia aliqua spirent;* Sicuti etiam monitum à Jacob Rohault tract. phys. 3. c. 11. p. 629.

p. 629. Ac hæc causa est, cur Celeberr. Joh. Cleric. l. 3. c. 5. Physic. ne quidem de ventis, qui terram perflant, agere voluerit ob *summam* sc. *varietatem respectu frequentiæ, durationis, vehementiæ, & locorum, in quibus sentiuntur.* *Montes*, ita pergit p. 276. *Valles, sylvæ, terrarum dispositio, quæ aptiores aut ineptiores sunt calori reflectendo, condensatio exhalationum & vaporum tantas in iis creant mutationes, ut investigationum, si hæc singillatim excutienda essent, nullus finis esset futurus.*

P. 168. Græbnerus egregiè sophisticatur ad verba nostra; *Æstivo tempore adeò frequentes morbi non sunt;* ita scribens p. ult. sive p. 216. *Mortuos æstate ipsi numerant 305. quod tempus æstivum tribus mensibus, Julio, Augusto & Septembri definiunt.* Atque hoc posterius quidem assertum esse falsum & mendax, jam ante monuimus, nunc hoc addimus, nos in loco hoc non agere de morbis æstatis ann. 99. superioris seculi, sed in *genere unicè nos asserere* quod æstas Vratislaviæ adeò morborum ferax non sit, adeoque sophisticè verba nostra generalia ad jamjam nominatum annum 99. detorqueri.

Pari candore agit p. 169. dum sequentia verba nostra criminatur: Nullum tempus anni morborum feracius est, quam autumnale. *Atque,* inquit, *hæc minimè cohærent, c. p. ult. seu 216. ubi Vere 353. Autumno autem 225. tantum mortui fuerunt, contra mox citatam Hippocratis sententiam: Autumno acutissimi & maxime lethales.* Nec opus erat Græbnere, ut cohærerent verba nostra cum pagina ultima, quia rursus à nobis l. c. non narrabatur, an Autumnus Ann. 99. multis infectis morbis fuerit infamis, sed tantum dicebatur, quod communiter magna morborum messis sit in Autumno. (2.) à Medicis expertis neutiquam ex nume-

ro mortuorum, numerus ægrotantium colligi debet, fieri enim optimè poteſt, ut ſatis multi ægrotent, pauci tamen moriantur; Quod fere ſemper fit in Autumno, ubi ſanè multi decumbunt, quia hoc tempore pori cutis conſtipantur, ſanguis minus fluidus exiſtit, variæ aeris viciſſitudines adſunt, excrementa generantur cumulatiora, & fructibus multorum corpora diſtenta ſunt, at non ſtatim omnes illi diem obeunt, ſed plures cum ſanitate in gratiam redeunt. Nec (3.) Hippocrates, quando dicit, quod *morbi acutiſſimi atque exitiales maxima ex parte Autumno vigeant*, id vult, quod morbi Autumnales omnes mortem afferant; ſed, Paraphraſte Luca Tozzio *part. alter. comment. in Hippocrat. aphoriſmor.* vel hoc voluit ſignificare Hippocrates, quod morbi acutiſſimi, qui in Autumno accidunt, *plerumque in exitium terminentur*; vel hoc, *quod ejus generis morbi cito ad augmentum perveniant*, qua de re prælaudatus Tozzius p. 36. & 37. legi poteſt. Priorem iſtam explicationem non obſcurè probat etiam Cardanus in Comment. p. 232. diſertè tradens, quod *principaliter de acutis Hippocrates* intelligendus ſit. Ac ne de his quidem (4to.) Hippocrates ſine cautela locutus, notanter adjiciens, *magna ex parte*. Nam, ne acutiſſimi *quidem morbi Autumnales omnino ac perpetuo mortem afferunt, quando quidem in longius tempus perducti ſicuti acutiem amittunt, ita & perniciem*, ut iterum Tozzius l. c.

(5.) Ver dicitur ſaluberrimum, *non quod nulli morbi in Vere regnent, aut quod nulli moriantur*; nam & ſatis multi in Vere ægrotant, & non pauci diem obeunt, ſed, ut in doctrina Hippocr. cum judicio verſati norunt, Ver ſalubre appellatur

(1) quod ſanis morbos nullos inducat

(2) quod ægritudines, quæ per hyemem curari non po-

potuerunt, aliquando ſolvat. Nam quod multis ægris etiam Ver obſit, non fugit Hippocratem, qui Epid.3. ſect.3. §.149. hæc habet: *erat omnibus præſcriptis graviſſimum quidem Ver, & multos occidit, Æſtas autem facillima.* Contra Autumnus rectè cenſetur morbifer, quin etiam ſanos in ægritudines varias conjicit, nec morbos in æſtate contractos ſolvit, ſed potius noxas eorum auget & intendit, quæ omnia vanus noſter Compilator planè non intellexit. Non poſſumus autem quin hac occaſione attexamus cauſas, cur Autumnus ſit inſalubris, & Ver ſalubre. Tres earum pandit Cardanus l. c. p.230. & ſeqq.

1. Eſt temperamentum utriusque.

2. *inquit*, cauſa eſt, *quia in Vere, cum non exuperent qualitates pravæ ſc. nec frigus hyemis, nec ſiccitas æſtatis, & mutatio ſit ex frigore ad calorem, quæ longe tutior eſt, quam ex calore in frigus. At in Autumno ſunt oppoſita -- mutatio ex calore ad frigus ---- & exuperant in eo ſiccitas & frigiditas, quæ ſunt qualitates contrariæ naturæ humanæ.*

3. Cauſa eſt, quod *in Vere ſol accedit ad nos, qui eſt auctor vitæ, & generationis & conſervationis omnium, & Autumno diſcedit à nobis, ideò ſiccantur folia arborum & marceſcunt omnia, ſicuti Vere germinant ac florent.*

Reliqua prorſus nos non feriunt, & vel Tyro manibus palpet, Græbneri p.174. querelas de perplexitate & obſcuritate ſermonis in ultima Hiſtoriæ noſtræ pagina, non aliunde, niſi ex ignorantia Latini Sermonis, eſſe profectas.

I nunc Græbnere, & palam in coronis, in pergulis famam noſtram lacera, ſi nondum te impudentiæ Tuæ pœnitet, ſerò ſaltim intelliges, quantum pravitas & inſcitia Auctori ſuo prodeſſe poſſit. Tu verò, benevole Lector,

vides, quam æstive amictus in arenam prodierit Græbnerus, & ubique lassus, anhelans, & defectus fugam minitetur. Absque mucronibus peractum est spectaculum, quia tantum in recessu, ut fugam occultaret, & simpliciorum officeret luminibus, plurimum pulveris concitavit, contenti fuimus facili flabello, qua nubeculam istam dissipavimus, & satis nobis fuit, stramineas casas, in quibus se subinde recondit, indice digito monstrare, ex quibus pro jaculis festucas tantum & paleas spargit. Si verò æquanimitate nostra non fuerit contentus, & vitio nobis verterit, quod non fuerimus telis acutis usi, ac vulnera intentaverimus nequaquam &c. &c. Tu verò
Vale & fave!

F I N I S.

